FRANCISCI FRANCHINI COSENTINI

POEMATA.

AVTHOR AD RANVTVM FARNESIVM CARDINALEM.

HAEC ego quæ magno Musarum
incensus amore,
Condideram, cautusq; domi male-
culta premebam,
Collegi Vatum monitis stimulisq;
bonorum,
Et claras statui proferre in luminis oras
Auspicijs RANVTE tuis: tu maxima Romæ
Romaniq; Chori, & nostri noua gloria secli.
Auspice te, facili percurram tramite saltus,
Te duce, secura sulcabo Cærula pinu,
Intrepidusq; minas uentorum & uerbera temnam.
Qualiacunq; uides, non scripsi lentus in umbra,
Non Phœbo tantum incumbens, solisq; Camœnis,
Verum inter duros terræq; marisq; labores,
Iactatus uarijs hominum rerumq; periclis.
Te fratresq; tuos, totamq; ex ordine gentem
Farnesiam, quorum mandata tot exequor annos
Non latet, impulsus curarum fluctibus atris
Quam procul absistam uiridantis uallibus Hæmi.

Perlege, iuncta leges iucundis seria nugis,
Permistas'q; rosas dumis, atq; intyba Thymbræ;
Ille iuuat, pascit'q; animos, & lumina campus,
Quo uarij pariter flores, & poma leguntur:
Quod si non unquam inuenies quod mulceat aurem,
Nec tua quod dulci pertentet pectora cantu,
Inuenies laudes'q; tuas, laudes'q; tuorum.

FRANC. FRANCHINI COSENTINI MANNA.

ETHERIO *pulsus quondam Saturnus olympo,*
Dicitur immensos per tractus aëris alti
Ad Terram, & latij ripas fugisse Numici;
Cum nati pariter uictricia signa ferentes,
Diuisere pares inter se regna parentis,
Treis mundum in partes sortiti lancibus æquis;
Obuenit uastus Neptuno pontus, opaca
Diti terra, Ioui sedes clarissima Cœli;
Qui simulac fines inuecti curribus altis
Sorte datos, regni frontem cinxere corona;
Iura dabat sua quisq; suo Rex maximus Orbi;
Et solio illustris late splendente sedebat:
At Iuno quæ triste odium damnarat, & arma
Impia, fraternosq; ausus, erat una paterni
Regni expers, nec sedem ullam ditionis habebat;
Tacti igitur miti fratres pietate, sorori
Aëris ingentes campos & regna dederunt:

Iamq; suis læti sceptris, trabeaq; decori,
Lætantes placida gentes in pace regebant,
Grataq; perpetuo carpebant otia cantu;
Cum degens dulci sine coniuge Iupiter æuum,
Nec dignam aspiciens ullam consorte cubili;
Ducendam statuit feruenti corde sororem;
Ergo adit, & læta Iunonem fronte salutat,
Assidet, & blandis iucundus uocibus almæ
Lætitia ingenti germanæ pectora complet;
Hinc animi mentem paulatim detegit, utq;
Se paret ad lætæ mandat solennia pompæ;
Iungere uelle toris illam socialibus inquit:
Palluit, & tacito Saturnia tacta timore,
Non animo mentiq; Iouis dictisq; proteruis
Annuit; ille refert insano captus amore;
Ne dubita, pater ipse Rheam sibi nonne sororem
Coniunxit? soror et coniux Rhea nonne parenti est?
Qui sine fraude palam se nos genuisse fatentur;
Parce metu, nobis tedas iunxisse iugales
Cras dabitur diuum tota spectante corona;
Multaq; Iunonem dicentem, & multa precantem
Deserit, ac subito conuiuia læta parari
Imperat, impatiensq; moræ, uocat undiq; Diuos
Ad sua tecta, suasq; epulas, festosq; Hymenæos:
Quid faceret? magni imperium irreuocabile Regis
Non æquo perferre animo, dementia summa est.
Dijq; Deæq; omnes rerum nouitate mouentur,
Conueniuntq;, feruntq; nouæ gratissima nuptæ

Munera lætanti pandentes gaudia uultu.
Primus Amor pictis humeros circundatus alis
Aduolat, & tensos arcus, grauidamq́; sagittis
Fert pharetram, cunctis certus dare uulnera diuis.
Aduolat alma Venus niueis inuecta columbis,
Auro compta caput, fulgenti splendida palla,
Spirantesq́; ferens fragranti pectore odores;
Trinacriæ Regina Ceres petit astra quadrigis,
Per tenues rapidis suspensa draconibus auras;
Astra petit Delon linquens cum fratre Diana.
Et Tethys lati ante alias ditissima regni
Accurrit nitida Nympharum septa corona,
Sed Thetide incomitata, sequi quæ sola parentem
Noluit, oblitum inuito ne pectore amorum,
Lætantemq́; Iouem ducta Iunone uideret.
Mnemosyneq́; nouem ducens secum ordine natas
Præstantes uirtute omnes, de uertice Pindi
Aduolat: hæ summi petierunt tecta Tonantis
Tam cito, quam uolitat uelox mens illius, olim
Qui terrarum Orbem late lustrarit, & Vrbes
Has illasq́; simul (meminit nanque omnia) cernit:
Insignis Neptunus equis ualidoq́; tridente
Cœlum adit, & toto fratri nuptæq́; sorori
Pectore gratatur; fratri fraterq́; sororq́;
Assurgunt uenienti, & dextrã attingere gaudent.
Floribus ingentem Tellus & suauibus herbis
Plena sinum, scandit stellantis limen olympi;
Deseruit sine luce domos & tartara Pluto,

Accelerat'q; uiam argento'q; auro'q; grauatus,
Aurum colla, pedes aurum, suras'q; tegebat,
Aurea quin etiam uestis distincta Amethystis,
Clara'q; Chrysolithis, intertextis'q; Smaragdis;
Tartarei totum Plutonis corpus obibat;
Hunc uestes cœtu in tanto numero'q; deorum
Ante alios festa preciosas luce trahentem,
Præponit superis, superum plebs, omnibus unum,
Ast alij quibus ingenium, & uirtutis honores,
Cœlicolæ magni, stolidum risere, rudem'q;,
Nam neq; consilio, neq; lingua, aut fortibus armis
Clarus erat, sed sorte datis præstabat ineptus
Diuitijs tantum, nullo sudore paratis;
Quas temnunt nisi coniunctas uirtutibus omnes
Qui sua præclaris extendunt nomina factis.
Neptunum merito cuncti admirantur, & ipsum
Oceanum, nam nota deis sit quanta potestas,
Notus uter'q; olim quantas assurgat in iras;
Si quis forte ausus sit se se opponere contra,
Tentaritue illis inuitis per uada ponti
Tendere iter, scopulis horrentibus illiduntur.
Egregiam ante alios laudem formosus Apollo
Retulit: & se se dignum moderamine solis.
Præbuit, & dignum Ioue patre, et patris amore:
Magnus erat, molli'q; puer lanugine malas
Vestibat, flaui per candida colla capilli
Ludebant, niueus'q; color, roseus'q; nitebant
Certatim iuuenis iucunda per ora, per artus;

Pulcher erat, facundus erat, cultusq́; pudensq́;
Purpurea cum ueste, pedes quæ conderet imos;
Et pulsare lyram, & noua carmina dicere doctus,
Carmina quæ uitæ defunctos lumine reddunt,
Dijsq́; æquant, cœloq́; locant, & nectare pascunt:
Quæ non luce illa proles Iouis ore canoro
De patre deq́; patris dixit maioribus? & quæ
Fortia non cecinit præsentum facta deorum?
Præcipue magnos nuptæ celebrauit honores,
Innumeras animi uirtutes, inclyta facta,
Corporis egregij formam, decora alta iuuentæ;
Omnia quæ rara uocis dulcedine captas
Vsqueadeo mentes oblectauere deorum,
Vt se quisq; sacro nimium debere poëtæ
Senserit, & dignas properarit soluere grates;
Iupiter ante omnes alacer dedit oscula nato,
Et pueri ingenium, pubescentisq; iuuentæ
Virtutes longo dignas pater extulit æuo;
Tum Musis præfecit, & Aonio Parnasso,
Quo duce securæ canerent sacra carmina Diuæ;
Et montis iuga tuta forent, & plena pudoris.
Iamq; omnes magni palatia celsa Tonantis
Implerant, uarioq; horas sermone trahebant;
Vndiq; lætitiæ respondent, undiq; risus.
Plena Iouis quanuis sint omnia, Regia cœli
Illa parte tamen portis bipatentibus extat,
Qua Chiron, fuluusq; Leo, regna Itala recto
Lumine despectant, & læta fronte tuentur:

Dum riget acris hyems, diuum pater incolit aedes,
Queis Lunae portus, Pisa'q., & subiacet Arnus:
Ad Sybarin aestate noua diuertit, & undas
Crathidis, & gelidae clarissima tecta Crotonis,
Et qua pinifero tollit se uertice Syla.
Syla, ingens sylua, incunabula mollia Fauni,
Syluani'q; domus, Satyrorum tecta, lares'q;
Nympharum, & statio dulcissima lenibus auris,
Secum habet innumeras syluas, totiden'q; uirentes
Floribus aeternis campos, quos lene sonantes
Mille rigant riui passim ridentibus undis;
Non hac in terris florentior altera, non hac
Nobilior, nec amoena magis, nec gratior ulla est:
Haec, postquam inuasit gratas thrax barbarus oras,
Aequauit'q; solo magnas cum moenibus Vrbes;
Phocida'q;, et Cyrrhā ante alias, Delphos'q., domū'q;
Thespiadum, Musas'q; omnes, Phoebum'q; fugauit;
Nunc passim incolitur Musis, & Apolline, Apollo
Hic nunc magnus habet sublimia limina, Musae
Hic laetas ducunt choreas & carmina dicunt:
Pan etiam Arcadia patrijs'q; expulsus ab oris,
Ad Sylam fugiens, Syla sua iura sub alta
Dat diues pecori innumero, pecoris'q; magistris;
Quin Syla super ingenti caelestia prata
Felices'q, ferunt caeli frondescere campos;
Magnus ubi nemore in sancto sub mollibus umbris
Iupiter instruxit laetis conuiuia diuis;
Tempore quo ducta est uxor, iam uenerat aestas

Torrida, & ardenti candebat Sirius astro.
Considunt tandem mensis, quas mille ministri
Aptarant forma egregij, totidemq; ministrae,
Virginitate pares omnes, aetatibus omnes.
His illisq; data est in terris cura mariq;
Custodire lacus & littora, flumina ripis
Comprimere, ignaris uada tuta ostendere nautis,
Reddere secura portus statione quietos,
Aërias seruare ornos, defendere ab austris
Glandiferas rapidis quercus, prohibere secures
Phoebeo saeuas nemori, lucoq; Mineruae,
Prata per & pictas conualles spargere flores,
Ponere odoratas hortis uiridantibus herbas,
Arboreos grauibus ramos onerare quotannis
Foetibus, immensum munus mortalibus aegris,
Magna Ioui terras alto delapsus olympo,
Cum petit, & diuis adeuntibus una uoluptas.
Dynamene nemorum Nymphas formosa regebat:
Nereïdas Doris, uirides Arethusa Napeas,
Eridanus Fluuios, dulces Eratinus Amores,
Naiadas Eurynome, sublimis Oreadas Hepe.
Mercurius maribus praeerat, Themis alma puellis,
Ambo epulis, mensis praefecti suauibus ambo;
Hi Iouis ad mensas astabant, Virginis, illae:
Virgo deas per prata, patet qua porticus ingens,
Ipse e conspectu Iunonis Iupiter, hortis
Iusserat in medijs secum discumbere diuos:
Versicolore sinu pallam succincta fluentem

Filia Thaumantis Iunoni uina ferebat,
Tu Vulcane Ioui, facie, formaq; decorus;
Nondum etenim tu claudus eras, nec Iupiter ipse
Impius è summo te præcipitarat olympo.
Interea multis non accumbentibus, ultro
Cernere erat uarios depicta per atria casus,
Et circunfusa contextas nube figuras,
Condiderant olim quas præscia Fata futuri,
Vix opus hoc illo dijs notum tempore, uerum
Omnia deinde dies patefecit lumine claro.
Illic Electram fuluo formarat in auro
Fatorum manus, & forma præstante Dionem,
Alcmenen, Danaënq;, & nuptam Ixionis, *& quæ*
Humano genuit generi noua gaudia Bacchum.
Hûc prope et indignantem, et tela trisulca minantem
Ore tumente Iouem Iunoni fecerat, illam
Pallentem & sæui metuentem coniugis iras.
Illic addiderat truculentum horrentibus armis
Et galea insignem, & miscentem prælia Martem.
Plutonem Cereris natam per prata legentem
Mollia odoratos flores inuadere curru
Quadriiugo; prensamq;, feris auferre citatis
Tartaream in sedem, et fauces male olētis Auerni:
Non procul hinc uno Venerem Martemq; cubili
Deprensos, ambosq; simul sine ueste iacentes,
Mulciber incautos cœtu illudente deorum,
Cinxerat, iniectis prima sub luce catenis.
Parte alia muris late fulgentibus, acres

Titanas montes cumulantes montibus altis
Fecerat, & dextra minitantes scindere cœlum;
Iam sublimis erat positus super Ossan olympus,
Cœusq; Iapetusq; poli conuexa trementis
Prensabant, fœdæq; fugæ se magna deorum
Pars dederat, Nilumq; fugarat ad usq; Typhœus
Ingenti telo Phœbum Phœbiq; sororem;
Cum tantum adiutus Vulcano Iupiter uno,
Fulmina cum tonitru magno detorquet in hostes,
Disijcit & montes, & Terræ sternit alumnos.
Cernere erat duro detrusum in uincula Martem
Robore Aloidum, & detentum carcere aheno;
Hunc & ab inuicto uulnus Diomede sub imo
Passum utero; Veneremq; manũ ostentare uideres
Vulnere turpatam et squallentem sanguine matri.
Amphytrioniadem celeres torquere sagittas,
Plutonisq; humerum tristi contingere ferro,
Iunonis teneram neruo stridente papillam.
Necnon Admeti uaccas, dum Sirius ardet,
Crinibus hirsutis deformem pascere Phœbum,
Quas mercede data mulgebat solis in ortu,
Solis in occasu stabulis cogebat opimis.
Non procul hinc Venus & Pallas, Iunoq; furentes
Exercent odia inter se, formaq; superbæ
Contendunt, iudex imis in uallibus Idæ
Priamides pecoris custos, sedet acer acerno
Subnixus trunco, & uestem deponere mandat;
Cæca mente deæ nil aspera iussa morantur,

Nil se se nudas pastori ostendere parcunt;
Tantus amor laudum, tanta est fiducia formæ;
Hinc rapidus Mauors prælongo Pallada telo
Ibat in aduersam, Martem contra illa petebat
Fortior ingenti saxo scabro'q; nigro'q;,
Ardua qua ceruix humero connectitur alto,
Aequabat'q; solo septem per iugera crines
Puluere conspersum; lapso super arma sonabant;
Tum Venerem auxilio subeuntem mollia forti
Pectora propellens, dextra sternebat inertem;
Hinc latios Saturnus agros, syluas'q; colebat
Exul, inops, tristis, populos'q; per arua docebat,
Qua melius tellure foret disponere uites,
Ordine quo plantas, qua falce putare nouellas,
Quoq; modo melius succos expromere ab uuis;
Qui dum humilem uitam ducit, deiectus ab alto
Culmine, & exilio sola hæc solamina præbet,
Intorquens oculos ad cœli sydera, cernit
Quæ nati celebrant conuiuia, mæret, & infit.
Tu ne ille in sanctos clarus pietate parentes
Filius, egregia facti qui laude refulges?
Tu ne tuum regno potuisti pellere patrem
Incautum armatus, patri'q; illudere pulso?
Mens tua me nunquam latuit sæuissime nate;
Editus ante fores grauida quam matris ab aluo,
Imperij tua nota mihi scelerata libido,
Exardens pedibus prosternere fas'q; nefas'q;;
Sed tua non uirtus, nec me tua dextera uicit

Perfide, me duri uicit uis effera fati,
Fati ingens uis est, & ineuitabile numen,
Cui tu etiam cedes, & regno uictus abibis,
Diuum, hominumq́; animis passim lætantibus, ut nunc
Me pulso mœrent omnes hominesq́; Deiq́;:
Tu uero liquidi, & regni tu rector opaci,
Victoris fratres Regis, mea pulchra propago,
Qui fratrem colitis spreto patre, ludite læti,
Viuite concordes donec licet, aspera æterno
Quæ magno bella inter nos uentura tumultu:
Alter in alterius caput irruet, at ferus ille
Ille prior stringet gladios, & bella ciebit:
Cernitis indomito quam nunc exæstuet igni?
Iunonemq́; suam quanto suspiret amore?
Tempus erit, thalamum quo non nisi tristis inibit,
Nubila densa ferens, uentosq́;, & fulgura, & imbres,
Ac miseram (uisu indignum) in fera uincula trudet,
Et mediam liquido suspendet in aëre, habentem
Massam auri manibus magnam, tenerisq́; ligatas
Incudes geminas pedibus, miserebitur omnis
Cœlestum chorus, & pendentem soluere cunctis
Ardor erit, uerum ille omnes de sede fugabit
Aetheria, infelix quem prendet percitus ira,
Illum præcipitem cœlo dabit aere aperto,
Et terræ illisi confringet corporis artus,
Tunc eritis nostri memores, tunc nostra feretis
Laudibus æternis mitissima sceptra, nec ulla
Gens erit Oceani circundata ab æquore, quæ non

Saturni nomen canat, & saturnia regna:
Regnabat me rege pudor, rectumq; fidesq;,
Relligio, & probitas, ingens & copia rerum,
Quas inarata dabat tellus fœcunda quotannis;
Sub Ioue furta uigent, fraudes, ferrumq;, famesq;,
Stupraq;, mox omni turgentia tempore surgent
Atq; odia, atq; doli, atq; arma, atq; horrētia bella;
Nondum etenim quæ fallaci sub pectore cælat
Ille uafer, dedit in claram scelera omnia lucem:
Quin etiam natum pariet quem regia Iuno,
Et belli & pugnæ faciet, ferriq; potentem;
Prælia mortales inter funesta ferentem.
Hæc Saturnus, at immenso saturnius igne.
Carpitur, & querula contemnens uerba parentis,
Vxorem colit, & gratissima pocula siccat.
Nymphiarum labor in terris & cura perennis,
Primicias rerum dulces legere undiq;, & illas
Sole nouo plenis cælo conferre canistris:
Credita res, nanq; hæc oculis incognita nostris,
Cernere non hominum tantum, nec noscere fas est;
E florum succo, primisq; rubentibus uuis
Nobile conficiunt cælestia numina nectar,
Perpetuo quod posse frui det flore iuuentæ;
E nitidis uero pomis & dulcibus herbis
Ante diem in lætas primum erumpentibus auras
Ambrosiam, æternum quæ præbet edētibus æuum.
Ergo ubi nectareos calices, dulcemq; saporem
Ambrosiæ Superi mensis hausere remotis;

Et cithara

Et cithara & cantu lætos formosus Apollo
Reddidit; exurgit summi regnator Olympi,
Apprensáq; manu Iunonis, quem'q; deorum
Ire suas iubet ad sedes, & carpere somnos;
Ipse reluctantē thalamo, et genua ægra trahentem
Vxorem ducit, nec uerbis cessat amicis,
Non prece, non donis cessat mollire pauentem;
Sed frustra, nã dum loquitur, dum q; omnia tentat
Sollicitus, largis dea fletibus ora rigabat,
Obtutu'q; solo uultum demissa tenebat;
Demum illa placidam promittens nocte quietem,
Ipse suis manibus baccata monilia gemmis
Collo adimit, niueo'q; aufert de corpore uestes
Cæruleas, trepidam'q; toro, stratis'q; reponit;
Queis ubi & ipse super iacuit, uafer incipit uti
Fraternis subito alloquijs, grauibus'q;, nec ulla
Monstrat concubitus ineundi signa, sed ulnas
Dum loqtur, prẽsat niueas, dehinc pectora tractat
Mollia, dehĩc audax rapit oscula, et oscula iũgit,
Blanditijs'q; iterum tentat conuertere mentem
Virginis; illa iterum pallens, iterum abnegat; ergo
Vim parat atq; infert effræno captus amore;
Coniugis & gremio temerarius insilit imo:
Dum'q; hic bella mouet, dum dulcia prælia tẽtat;
Dum fugit hæc, uitat'q; uirũ, dũ capta repugnat,
Amborum manat lasso de corpore sudor
Plurimus; ut q; cadit per noctem frigidus imber
Paulatim, & quercus canenti rore uirentes

Perluit, ac late uiridantes occupat herbas,
Sic sudor Iouis & Iunonis ab aëre lapsus
Defluxit pluuio in terras, qua Crathis amœnas
Conualles, & prata rigat, colles'q; supinos
Suspicit, Ionium'q; petit flauentibus undis:
Illa nocte Iouis nutu, inssu'q; per Orbem
Non æstus, non frigus erat, non flamina uenti
Spirabant, nebulæ nec uallibus incumbebant;
Nanq; nouo indulgens pulchra cum coniuge amori
Cuncta elementa dedit concordi pace teneri.
Mane erat, & rorem agricolæ de more putabant
Effusum, uerum radijs uix cedere solis
Vt uidere, dehinc lentis concrescere guttis,
Hunc & apes magno circum uolitare susurro,
Ora'q; plena domum mellito rore referre,
Infusi agrestes mirantur, & arbore ab alta
Stillantem, liquidum'q; albentis imagine ceræ,
Degustant primo pauitantes, deinde saporem
Experti mellis, uentri'q; salubria dona,
Obseruant, ros ille iterum num nocte futura
Defluat, et dona illa iterum lux crastina fundat,
Ecce noui cœlo descendit copia roris
Maior, opes'q; solo plures lux crastina fundit;
Nam Regina magis prima quam nocte marito,
Se facilem dedit, & magis oscula dulcia iunxit,
Omnibus & pariter sudauit uter'q; medullis;
Læti igitur donis adeunt sua proxima quisq;
Oppida pastores, inuenta'q; munera monstrant.

Deſeritur Sybaris, linquunt Temeſeia tecta,
Teq; Terina, tuos Oenotria regia colles
Pandoſia, atq; tuos linquunt Coſentia pontes;
Vndiq; conueniunt, concurritur undiq;, et omnes
In ſaltus ruere, atq; humentia prata uideres,
Non aliter, quam cum ſegetes florentia'q; arua
Sæua locuſtarum magno inuaſere tumultu
Agmina, & infirmis hærentia frondibus acres
Intendunt morſus certatim, atq; obuia rodunt
Omnia, & ex imis mandunt radicibus herbas,
Ac late loca deuaſtant, & nuda relinquunt.
Hinc diues tanto Coſentia munere, munus
Demiſſum aſpiciens diuum ſibi numine, diuis
Sacra facit, centum'q; boues candore nitentes
Læta Ioui mactat; uix & thuris uapor auras
Attigerat, calidus'q; cruor fumarat ad aram,
Cum lætus diuum genitor pulchra oſcula libat
Coniugis, & tales effundit pectore uoces.
Nonne uides pia ſacra facit quæ Brutia Tellus?
Quo nos thure colit, nobis quas erigit aras?
Fas eſt hanc æquo nos cernere lumine, fas eſt
Dotibus eximÿs, raris'q; extollere donis,
Humorem hunc igitur quem deſudauimus, annis
Omnibus ante alias habeat felicior oras,
Vtq; ſua ambroſia iactet ſe læta, ſinamus;
Adde quod æterno noſtros teſtabitur ignes
Ros æuo, & noſtri monimentum extabit amoris.
Annuit extemplo dictis lætiſſima Iuno,

Non tibi grata magis (referens) pulcherrima tellus;
Quam mihi, maiori nec gens tibi Brutia curæ;
Templum immane, opulentum, ingens, par uertice (cælo
Illa mihi ponet, cunctis quod lætior unum
Posthabitis, ego sæpe colam, atq; acerrima custos
Tutabor; miser ille manum qui iniecerit auro,
Audeat aut si quis rapuisse lacinia tecta,
Fœdarit ue sacrum consperso sanguine limen;
Hæc ego, quam sæpe ante alias, uiso'q;, colo'q;,
Vna meis etiam auspicijs feret omnia tellus,
Atq; omnem egregijs superabit laudibus orbem.
Se se igitur non immerito mea patria iactat,
Muneribus magnis magnorum læta deorum;
Letitia iure exultat, dilecta Tonanti
Ante alias, nuptæ'q; etiam dilecta Tonantis;
Vt pote quæ fruitur diuino rore quotannis.
Hic genus humanum ros optimus adiuuat; hic ros
Par niuibus candore, fauis dulcedine, cunctis
Perpetuam assiduus dat ducere posse iuuentam;
Educit facili flauam lenimine bilem,
Extinguit'q; sitim & suspiria tristia sedat;
Corporibus uires infirmis reddit ademptas,
Diuos pascit, alit mortales frugis egentes,
Per deserta Dei si quis loca numen adorat,
Effugiens Vrbes & opima palatia Regum;
Illo nil miseris est rore salubrius, illo
Tempore rore dato grauiter languentibus ægris,
Ad lucem ex atræ reuocantur limine mortis.

Quid foret hoc, ueteres, merita qua uoce uocarent,
Ignari, & quanuis mel roscidum, et aërium mel,
Et dici patrio posset ros melleus ore,
Vna omnes solymo dixerunt nomine Mannam,
Et Mannæ imposuit nunquam delebile nomen
Assidui genitor sermonis publicus usus.
Brutia gens tanto lætatur munere diuum,
Verum alijs etiam gens fortunata deorum
Muneribus gaudet, nullarumq; indiga rerum,
Terra opibus scatet innumeris, atq; omnia mittit.
Ne fontes fluuiosq; canam, lucosq; uirentes,
Per quæ prata legat blandos Proserpina flores,
Horrea ne Cereris, neue uncta trapeta Mineruæ,
Lætitiaq; patris neu dolia pinguia Bacchi;
Quotq; armenta gregesq; altis in montibus errēt.
Dulcia Pomonæ sunt munera carmine digna,
Mellaq;, mellitæq; maris per littora cannæ;
Sunt latebræ et saltus, uariarū & lustra ferarum
Digna cani, & colles passim uenatibus apti,
Quos longe repleas inflatis cornibus aer,
Latratuq; canum, motuq; & uocibus altis;
Iam cuicunq; placet studia exercere Dianæ,
Adsit & hic nostris nunquam discedat ab oris;
Imbellem canibus damam, capreasq; fugaces
Venari poterit toto lætissimus anno,
Iugentemq; gruem & docta Iouis alite olores
Excipere, & pauidis prætendere retia ceruis,
Ac duro spumantem aprum prosternere ferro.

Sunt & equi cursu alêres, & uiribus acres,
Magnanimi bello, iactantes naribus ignem,
Hinnituq́; alacri Martis fera bella cientes;
His eget, hostiles primus qui inuadere turmas
Ardet & hostiles qui perfregisse cateruas;
Tanta illis uis est, tales pernicibus alæ;
Quin et ouans, et agens lætos de more triumphos,
Hos agat altus equos lætanti fronte frementes,
Si recipi claro gaudet per compita plausu,
Letitiaq́; omnem complere & lusibus Vrbem.
Quid memorem immensos montes, quos ordine longo
Excidunt, fodiuntq́;? leues hic dura sub auras
Saxa salis tollunt strepituq́; & mole rotarum;
Illic eliciunt lentum in fornacibus aurum,
Ferrumq́, argentumq́;, soli fulgentis arenis,
Atq; soli rutilo strictturis igne liquatis.
Brutia dat Tellus Europæ serica, Tellus
Brutia Reginas omnes, Regesq́; Ducesq́;
Textilibus uarijs, uarijsq́; coloribus ornat,
Aeternosq́; Deos, magnorum & templa deorum,
Matribus assiduus nostris labor, atq; puellis,
Dum sua bis retegit, bis condit lumina Phœbe:
Adde uirum genus acre, uiros ad prælia natos,
Ad perrumpendas acies, arcesq́; tuendas,
Et referenda domum natos ad præmia palmæ.
Hæc ad olympiacæ misit certamina pugnæ
Vna luce uiros septem, una eademq́; reduxit
Septem luce uiros uictricia dona ferentes.

Hæc genuit fortem et domitantem monstra Milonem,
Isomachum, Surram, Vibiosq́;, & te Astole, teq́;
Phormio, qui ualida Lacedæmona classe petisti
Horridus, & patrias remeasti uictor ad arces,
Postibus affigens hostilia rostra deorum.
Teq́; etiam Antisti, qui Cæsaris arma secutus
Consilio dextráq́; potens, horrenda per annos
Bella decem, & magno gessisti Cæsare digna.
Te quoq́; nostra parès genuit magne Euthyme Pycta,
Quem uiuum, fueris quod semper uictor, honore
Mortales coluere sacro, diuumq́; uocarunt
Consensu iussúq́; Iouis, lætantibus & Dijs.
Hæc eadem, ut ualeas Regionis noscere uires,
Sæpius innumeras aluit, ualidasq́; phalanges,
Et magnum horrendis orbem perterruit armis;
Pars quota Telluris, claræ tantum ora Crotonis
Vno uiginti legiones tempore, in acrem (græ,
Locrensem explicuit memorandæ ad flumina Sa=
Bis totidem in muros duxit Sybarita Crotonis.
Vnde orbi leges diffusæ, & norma colendi
Iustitiam, fas, atq́; pium, sanctumq́; pudorem?
Vnde Duces, Regesq́; suos dediære benigno
Imperio populos regere, & frænare superbos,
A sanctis uisi diuinæ telluris alumnis,
Zaleuco æterno, immortali Alcmæone, claro
Parmenide, Zenone graui, magnoq́; Timæo?
Hinc unus non Pithagoras purgauit ab omni
Labe Orbem, impleuitq́; omnem uirtutibus Orbẽ?

Ingenium quaeris? diuina Cleomenis alti
Carmina, quaeq; dedit dulcissimus Ibycus, & quae
Non primo inferior lege condidit Orpheus alter;
Perlege quae cecinit nostris aeterna Theano;
Sit tibi cum cithara, & citharae insidente cicada
Eunomus ante oculos; ducentemq; aspice magnum
Praxitelem uiuos duro de marmore uultus.
Haec Diuum domus, & claro Terra aemula coelo,
Italiae primum nomen dedit, Itala uirtus
His olim auspicijs, hac fortis origine creuit,
Et se paulatim factis clarissima, coelo
Intulit, ac totum subiecit legibus Orbem,
Hinc patriae pars illa meae, quam uerberat aequor
Ionium, dicta est antiquis Graecia maior,
Vt quae una ingenio Dijs Immortalibus aequam
Graiorum gentem ingenio superabat & armis.
Hei mihi cur illo non tempore fata dederunt
Me terris, me posse frui uitalibus auris
Ante alias patria totum florente per Orbem,
Quo possem infelix sanctos perdiscere mores
Illius, & laudes, uiresq;, & fortia facta
Cernere, & inuictae laetis gaudere triumphis.

FRAN. FRANCHINVS COSENT. AD PETR. ANTONIVM SANSEVERINVM PRINCIPEM.

*

CVM laudes, & facta Ducum,
Regumq́;, Deumq́;,
Carminibus sit uatis opus celebrare
canoris;
Segnis ego ingratusq́; forem, si in=
dictus abires
Tu mihi, qui claris omnes uirtutibus anteis
Heroas, cœloq́; tuis te laudibus infers;
Quiq́; regis populos utroq́; ab littore, qua se
Rupibus Ioniјs Tyrrhenisq́; æquora frangunt;
Quas ego quam dulcis patriæ malim edere laudes?
Quæ se alio nunquam tantum iactabit alumno,
Seu pacem, seu bella geret; tu clarus in armis
Ante annos, placidaq́; tuos ditione gubernas.
Diues opum, diffundis opes, nam largus, & idem
Spretor opum, tua partiris generosus in omnes;
Hospitibus tua tecta patent noctesq́; diesq́;,
Lautaq́; lætanti conuiuia fronte parantur:

Quin non arma modo, & uestem largiris amicis,
Et gemmas, & Equos, & magni ponderis aurum,
Verum Aedes, Hortosq;, et Prædia, et Oppida donas,
Magnorumq; animos Regum tua pectora uincunt:
At poscunt cum bella manus, decernere ferro,
Quisnam tecum audet, propiusq; accedere tentat?
Vincebas celeri cursu quoscunq; feroces
Pene puer iuuenes, saltuq; unctaq; palestra,
Nec quisquam qui posset, erat, torquere sagittam
Certius, aut strictum protendere fortius ensem,
Quiue magis duro perfringeret obuia telo,
In clypeum magis aut assurgeret arduus, aut qui
Horridior longam ferret uiolentius hastam,
Siue pedes seu uectus equo cum sæpe ruebas
Acer in aduersam uario certamine pubem:
Ipsa canit sæuis audax Hispania bellis,
Quot ficto sub Marte feri sob imagine belli
Directis in frontem effractisq; omnibus hastis,
Grandia retuleris meritæ data premia palmæ,
Admirante Tago, Durioq; & flumine Ibero:
Quæ cuncta aspiciens impar tibi Cæsar ut æuo,
Decreuit paribus tecum concurrere telis;
Et dixit: magnum o Martis decus, o decus altæ
Italiæ, cuius ueteres uirtutis honores,
Armorumq; refers, cum tot deuiceris hostes,
Me quoq; uince, tuis etiam me inscribe triumphis,
Cumq; recusares; referens pulcherrime rerum,
Quis ualeat tecum dura contendere pugna?

Non equidem, non si ipse potens Mars, ipsa ue Pallas
Me regat; hi tecum pugnent Dij Maxime Cæsar;
Inuitus tamen arma capis, tandem arripis hastam,
Et iam Cæsar adest ferri splendentis & auri
Conspicuus radijs, & equo sublimis & hasta,
Te uocat, & magna ciet in certamina uoce:
Acer equus tunc te uenientem hinnitibus altis
Prodit, & horrendum rigidis ostendit in armis,
Cumq; pedum sonitu magno armorumq; fragore
Portat ouans, uolucresq; afflatu disijcit auras:
Ergo ubi uos contra, atq; aduersa parte tulistis,
Et uacui medio patuerunt æquore campi,
Dat signum tuba; tum longos protendere contos
Alterum in alterius caua tempora, cuspide recta
Cernere erat, resonant trepido fera lata tumultu,
Dant gemitum caueæ, uicinaq; tecta resultant;
Ter pugna est inita ambobus, conflictibus hastæ
Amborum ter fractæ, & ter plausere theatra;
Iactaruntq; Chori spectantum ad sydera uoces;
Cum nox obductis aduenit nigra tenebris,
Luctatosq; diu æquali cum laude diremit:
Hinc tua miratus præstantia pectora Cæsar,
Te fratrum ascripsit numero, fratremq; uocauit,
Auratiq; dedit sacrum tibi uelleris Agnum,
Supremum decus, & summi gestamen honoris.
Adde ferox referas cum robur et Herculis artus,
Ora etiam, formamq; refers pulcherrime Phœbi;
Fortior alter enim non te, nec pulchrior usquam est;

Aspexere semel quotquot te forte puellæ,
Quam subito pereunt miseræ, quibus ignibus ardent;
Ardent te Nymphæ Sibaritides, Aesaridesq́;,
Crathididesq́; omnes, sed te seducit auitum
Venandi studium, ut mos est Regumq́;, Ducumq́;;
Nam qui uenatu inuigilant, & lustra sequuntur,
Martis opus, belliq́; ineunt simulacra cruenti;
Coniuge quin tenera media sub nocte relicta,
Cuncta reples inflatis cornibus, omnia comples
Latratuq́; canum motuq́; & uocibus altis;
Illæ agros, saltusq́;, atq; execrantur amorem
Syluarum, inq́, canes studium, latebrasq́; ferarum;
Cum sensere tamen redeuntem, cernere suaue est,
Vt liquido se se tollant de gurgite nudæ
Mammarum tenus, ut uideant te cæde madentem
Aprorum, & prædæ spolijs syluestris onustum;
Gratantur uictori alacres, orbisq́; salutant
Te decus, & florem appellant, solemq́; uirorum;
Fama fuisse refert talem Actæo Aracyntho
Hippolytum, cuius capta est Minois amore
Phædra olim, sic ille canes, syluasq́; colebat,
Sic pulcher, sic forma uirum neglecta decebat.
Quis uero genus unde tuum, fascesq́; tuorum
Magnorum ignorat, primamq́; ab origine gentem
Sequanica, & stirpem claro de sanguine Regum?
Tempus erit, quo tēplum ingens, si uita manebit,
Crathidis ad ripam niueo de marmore ponam
Magnum opus, æternum, nullis superabile seclis,

In quo pictor ego, referam longo ordine gentem,
Heroasq́; , Ducesq́; , & Auorum facta tuorum;
Omnia quo passim turba spectentur ab omni
Parietibus claro distinguam limite pictis;
Atq; hic expugnata caua testudine dura
Mœnia, disiectasq́; altis cum turribus arces;
Necnon arma, & equos, & signa, sacrosq́; triũphos
Describam, latis pugnataq́; prælia campis,
Aduersasq́; acies terraq́; mariq; subactas;
Tum circum late positis solennibus aris
Phidiaco uiui stabunt de marmore uultus,
Authores, generisq́; tui generosa propago,
Ianusq́; , Alfonsusq́; , & quot sua iura Salerno
Fernandi dederint, dederint qui iura Veseuo,
Pæstanisq́; iugis, lateq́; insubribus oris:
Quos inter, bello præstans, & fortibus armis,
Robertus Regum domitor, Mauortis alumnus,
Stetnet eques turmas equitum, peditumq́; cateruas;
Imprimisq́; tuum statuam belloq́; togaq́;
Egregium, & pulchra clarum uirtute parentem:
Addam cuiq; suos fasces, meritamq́; coronam,
Et sceptrum, & tyrio saturatas murice uestes:
Vtq; diu sanctis faciam tandem impiger author,
Vtq; Seuerinis extet uenerabile templum:
Tu uero Iuuenum princeps, spes maxima secli,
In medio mihi pulcher eris decoratus honore
Non uno, sed mista & uersicolore corona,
Vt tua (spero equidem) poscent facta inclyta bello:

Interea ne absiste tuis præstantibus orsis,
Carpe uiam, sequere acta patris, uestigia auorum,
Tolle animos, qua cernis iter stellantis olympi,
Olim aderit, qui te canat, & tua facta, tuasq;
Insignes fama laudes ad sydera tollat:
Iam colet Antoni Indigentem te Brutia Tellus,
Sicut Creta Iouem, ceu Phœbum erratica Delos,
Vulcanum Lemnos, pubes Romana Quirinum.

IN LAVDEM BEATI FRANCISCI PAVLANI.

NTE alias Vrbes gaudet queis Brutia Tellus,
a Diues agris armis'q; potens CO=SENTIA prima est;
Non procul hac colitur tyrrheni ad gurgitis undam
Paula polo gratum oppidulum, carum'q; Lyæo,
Prole uirum felix, & felix prole deorum.
Cumq; hoīum mores essent & tempora quondam
Perdita, nec probitas terris foret ulla, fides'q;,
Humanum pater omnispotens miseratus ab alta
Sede genus, lapsis statuit succurrere rebus;
Vtq; foret qui labe Orbem purgaret ab omni,
Paulæ ortum dedit ut paruo sub tegmine haberet
Vir uirtute omni, & diuino numine plenus;
Qui terris qualem se gesserit, oppida & urbes
Montes'q; syluæ'q; & littora lata loquuntur;
Felix illa dies quæ nostris attulit oris
Hoc decus, hoc lumen nostro qua protulit orbi,
Illo mella die passim iustissima Tellus
Effudit, florum'q; nouos per prata colores

Sponte dedit, ſuauisq; nouos ſpirauit odores.
Magna igitur populi Paulanum aſtante corona,
Rex hominum, Rex ſacrorum Leo Maximus idem,
Ad Tyberim cecinit, uaticanosq; receſſus,
Oſtenditq; coli dignum, cœloq; locauit.
Vt fuerit ſine labe puer, probitatis amator,
Optimus ante annos, obſeruantiſſimus æqui.
Vt trita indutus, pinguiq;, atraq; lacerna,
Antra per & ſyluas, & inaceſſas conualles,
Vota, preces q; Deo, laudes & carmina diuis
Fuderit; utq; hyemem tulerit, ſolemq;, famemq;;
Regalesq; ut opes, & fuluum ſpreuerit aurum.
Tum canit, ut nudis ignes, uepresq;, niuesq;,
Et ſaxa illeſis calcauerit aſpera plantis;
Iamq; manu prunæ diſcant, cadentiaq; æra,
Poſſe geri, uires nec habere per omnia flammæ.
Hinc erecta Deo noua templa per oppida narrat,
Delectosq; uiros ad cultum, & ſacra Deorum:
His magnum per inane leues ſine corpore uitas
Errantes, hominum & ſubeuntes corpora uiua,
Torquentesq; artus iuuentum, & ſenſa prementes,
Obſeſſo eiectas multorum è pectore iungit.
Teq; etiam toto turpatum corpore format,
Auribus obtuſis ſtolidum, genibusq; retortis
Inualidum, uocisq; ſono Maurelle carentem.
Te quoq; ſemianimum mœſtiſſime Tarſia, terris
Cum non ulla manus, non ulla inuenta fuiſſent
Gramina, quæ tetri poſſent ſedare dolorem
Vlceris,

Vlceris, incolumen diuino numine reddit.
Tum canit ut sylua in magna candente pruinis
Exanimem Tatium dederit uitalibus auris:
Tum canit infusam caecis lucem'q; diem'q;
Dat gressum claudis, dat mutis uerba, dat aures
Purgatas surdis, & libera brachia mancis.
Quid memorē extensas'q; trabes, dextrā'q; secutas
Illius, erecti cum non attingere templi
Partem utranq; breues possent, haerere nec unquam
Parietibus; magna fabrum admirante corona?
Aut ut socratica pollens Antonius arte
Doctrinae experti FRANCISCO *inuiderit uni,*
Dum fulto sola tantum probitate superbos
Perpetuo hinc illinc deferri spectat honores,
Post ubi uisa uiri uirtus data numine ab alto
Prensantis torrem accensum prunas'q; flagrantes
Intrepidis manibus, uultu'q; & pectore firmo;
Fusus humi ueniam tibi supplice uoce rogarit,
Errorem'q; suum lacrimis sit fassus obortis,
Et saepe extulerit Paulanum ad sydera coeli,
Dignum laude patrem, exclamans, et iure colendum.
Tunc uisus maior, uisus Rex numine magno
Afflari, iam corde tumens, iam pectore toto
Immortale sonans, altis sic uocibus infit.
O nimium faelix, adeo quem sydera amarunt,
Cuiq; adeo sanctam infudit Deus aethere mentem,
Dixerit ut merito te nomine quisq; Beatum,
He heu quam rerum rationem exquirere inane est,

Astrorumq; uias, & motus æquoris alti,
Vnde atomi, unde animæ, & uasti primordia Mũdi:
Nam quicunq; Deum colit alta mente, Deumq;
Suspicit unum hominum Regem, rerumq; parentem
Hic est ante alios sapiens, hic omnia nouit,
Hic didicit causas cunctarum reddere rerum:
O` nimium felix, quem religione potentem
Ipse Deus cœlo ascripsit, numeroq; suorum.
Sed neq; fornacem rabidam feruore minaci
Præterit, ob nimios ignes eurosq; ruentem;
Intrepidus subyt toto quam pectore, & undas
Flammarum petyt, nubesq;, globosq; furentes,
Et lapidem ardentem pressit, fulsitq; cadentem.
Nec silet immensum è patrys iter illius oris,
Ad Ligerim, lenemq; Ararim, magnũq; Garumnam,
Annosæ uires ultra, curuæq; senectæ;
Regis enim accitu gelidas superauerat Alpes.
Nec cum se minimum uellet cognomine dici,
(Sic etenim sese mortales inter habebat)
Gens infusa seni quantum assurrexerit omnis
Perpetuum per iter, per rura, per oppida passim;
Quam ue pijs ueneratæ patrem sit Gallia uotis,
Quam magno ante alios sit Rex ueneratus amore:
Nec silet, ut dederit responsa petentibus olim
Certa adeo, ut merito gentes oracla uocarint;
Vtq; tibi optanti dulces Aloisia natos,
Dixerit; ante omnes o` felicissima matres,
Iam lætare, tibi nascetur filius, ipsa

Quem Regem, Regumq́; patrē, Augustumq́; uidebis.
Addit, ut emeritus naturæ iam grauis annis
Prædicta, uisáq; obitus concesserit hora:
Quæ mandata prius cum maiestate uerenda
Digna Deo dederit uenturi præscius æui.
Hæc super, intorquens sacros ad sydera uultus,
Ipse Leo terris summus pater, addit, & inquit:
Iure igitur clari patuit tibi Regia Cœli
Magne pater, cœtusq́; deum assurrexit eunti,
Et tua libauit Deus ora, & ob inclyta terris
Tot tua facta, tibi gratatus, nectare odoro
Posse frui dedit, & stellis ardentibus almum
Sacratumq́; caput cinxit radiante corona:
Cumq; Deum rector placidas tibi præbeat aures,
Sancte faue, bonus & felix mortalibus adsis.
Hæc ubi dicta, patri solennia sacra parantur
Ordine, quo Tybris se se tenuisse secundis
Visus aquis, lætusq́, altum exultasse per amnem;
Et tandem nox sera nigris aduecta quadrigis,
Occuluit lento fulgentia lumina Phœbo.

AD PAVLVM III. PONT. MAX.

MAGNE Pater, quod sit rerum tibi summa potestas,
Quod teneas sacra sceptra, tibi quod pareat Orbis,
Supremumq; habeas mortales inter, honorem;
Septem ipsi colles, & magnæ mœnia Romæ,
Lætitia exultant, & se se ad sydera tollunt:
Et merito; nam te nobis sic Paule dedisti,
Vt cum forte suo puppis spoliata magistro,
Fluctibus in magnis iactatur, & inscia, quo se
Vertat, ab ingenti uentorum turbine fertur;
Ipse gubernaclo subeat Neptunus, & omnes
Excutiat nubes ponto, cursumq; serena
Fronte regat, iactant lætum per littora ad auras
Clamorem incolumes diuino numine nautæ;
Iam sumus in tuto duce te, portumq; tenemus,
Nec uim nostra ratis formidat turbinis ullam;
Sic etenim multis oracla petentibus, ore
Ipsa suo responsa dedit Cumæa sacerdos:
Sumite Mortales, animos, spem pectore habete,

Vobis parta quies, felices uiuite, Paulo
Principe, res placidas, atq; omnia tuta uidetis;
Præsidet ille Dei nunc non sine numine terris,
Terrarum'q; super celsas sedet arduus arces;
Nam genus humanum semper miseratus ab alta
Arce Deus, miseræ uoluit succurrere genti;
Decreuit'q; suis pupulis præponere Regem,
Esset qui tanti dignus moderamine regni,
Qui'q, bonus felix'q, foret mortalibus ægris:
Hunc igitur longe ante alios uirtute nitentem,
Vna Pontificem cunctorum uoce creauit.
Hic uir hic est sancto (si nescis) numine plenus,
Roma tibi toties pastor promissus ab astris;
Secula qui condet rerum pulcherrimus orbi
Aurea, componet paces, & fœdera iunget;
Tertius à summo descendit Paulus olympo
Missus ad imperium magnum, quod proferet ultra
Et Nilum, & Gangem, et Phasim, Tanaim'q; niualé,
Deturbans prauum ingenium, mentes'q; malignas
Barbaricæ gentis, Germanorum'q; superba
Consilia, in melius uertet, ueros'q; sacrorum
Ad ritus, cultus'q; pios, sanctum'q; pudorem.
Quam magnos, lætos'q; pater Tyberine triumphos
Aspicies, cum concilio (de more) coacto,
Stabit pro diuo dulcis uictoria Paulo?
Iam cadet ille furor tumidus, rabida ora quiescent,
Cedet iners, uictum se'q; ipse fatebitur hostis;
Tunc tibi læta magis florebunt prata, tuæ'q;

Surgentesq; magis ripæ semperq; uirentes,
Præstabunt hilari uernantia lilia mundo:
Tunc pudor, & probitas, libertas pulchra, fidesq;,
Lætantes fora lata colent, & strata uiarum;
Felix illa dies, quæ Regem hunc attulit Orbi,
Illa dies omni semper memorabitur æuo,
Et lapide à cunctis passim signabitur albo;
Illa nanq; magis quam nos nunc cernitis, actum est:
Hæc uates: uerum ueniam si uerba merentur,
Non proferre eadem mihi nota fuisse uerebor,
Meq; ipsa melius potuisse referre sybilla;
Nam mentis sacra templa tuæ, suauesq; recessus,
Candoremq; animi, & uirtutem pectoris alti,
Consilia, ingenium, & facundæ flumina linguæ
Nouimus, & te omni uenerandum uidimus æuo.
Omnia pene puer gessisti Principe tanto
Digna olim, implestiq; Italas uirtutibus oras:
Quis non te semper magnum, & benefacta sequẽtem,
Optantemq; nouas præstanti pectore laudes
Aspexit? meritisq; grauem, & pietate potentem?
Cui stirpis non nota tuæ generosa propago?
Quis nescit claro natam de sanguine gentem?
Quam ue tui fuerint Ataui Mauortis in armis
Illustres, aut hos quanto decorarit honore,
Bellorum Mars ipse potens deus; inscius & quis
Quam paruo innumeros Ranutus fiderit hostes;
Quam paruo Prætus delerit milite Pisas? (quam
Quem tibi Paule parem inueniet, quẽ cõferret un=

Virgo Astræa tibi Rex *o' iustißime* Regum?
Iure igitur, quod tu solio consederis alto,
Quodq; habeas tantas rerum moderator habenas,
Matres, atq; uiri, pueri, innuptæq; puellæ,
Dant se lætitiæ ingenti, fremituq; secundo;
Et tibi gratantur paßim, dominoq; Deoq;.
Ipse etiam diuine Pater, tibi gratulor, immo
Gratulor Italiæ, & terrarum gratulor orbi;
Quod longum optato potiamur Principe læti,
Auspice quo, nostris succedent omnia uotis,
Salue igitur qui templa Dei, qui regna gubernas;
Te seruet pater omnipotens, qui tradidit omne
Ius tibi, & abitrium nostræ post fata salutis;
Viue diu, immenso cuius sub numine Terra est.
Quin age Sancte Pater patrũ numeroq;, choroq;,
Sit mora nulla tibi dulces dare uelle nepotes;
Roma rogat; ducis ut patrij florente fruatur
Stirpe diu, regnetq; diu Farnesia pubes;
Sunt ambo Italiæ flores, sunt orbis & ambo
Deliciæ, latisq; micant duo sydera terris
Principe te, Solis ueluti radiantis ad axem
Lucifer ante diem, noctis ante hesperus umbram;
Longa dabis uer perpetuum per tempora Romæ,
Perpetuo annorum nam tempore, lilia paßim
Florebunt, lateq; dabunt bene olentia odorem.
Nostri igitur decus unum æui, & spes unica secli,
Incipe nutanti iam nunc succurrere mundo,
Ablue si qua manent priscæ uestigia labis,

Lætantem patrijs uirtutibus erige Romam;
Sit satis & ferrum, & flāmas, pestēmq́, famemq́;
Totq́; hominum clades, & funera sæua tulisse;
Da pater auxilium fessis, dulcemq́; quietem.
Et quoniam atq; hæc, atq; his tu maiora quotānis
Nate uir ad laudem, efficies, ego tactus ab alta
Relligione tui diuini numinis, ad te
Sponte feror, nunc fusus humi tua nomina adoro,
Do tibi thura libens, uoco te pater optime uotis,
Hanc statuam statuo, & uiuenti deditus aram.

AD OCTAVIVM FARNESIVM.

VSONIAE decus Octaui, & noua gloria Romæ,
a Sanguine nate deum, geminis clarissime natis;
Sit uenia mihi posse tua fas pandere terris,
Quæ tibi fatidico dixit pater optimus ore,
Cæruleis iuueni assurgens Tyberinus ab undis,
Cum te post exhausta tuo sub Cæsare bella,
Ictaq; cum Gallis sanctæ post fœdera pacis,
Littore ab Oceani, & Belgarum uidit ab oris,
Ad caræ amplexus redeuntem & coniugis ora;
Tecum aderam, dulcisq; mihi est meminisse uoluptas.
Vade, age, subde citis magnorum ò cura Deorum,
Calcar equis, patriam auspicijs felicibus Vrbem
Ingredere, agnosces quæ sint noua gaudia Romæ:
Te fora, te pontes, te compita, teq; Deorum
Adueniente sacræ complentur gentibus ædes,
Vt te adeant, & uota Deis ut debita reddant;
Quid consanguineus faciat, qui plurimus ordo est,
Quid mater, quid cara soror Victoria, cernes.

Rumpe moras, desiderio te capta uidendi
Austria tabescit coniux, & pallet in horas:
Tu uero quae prima petes uisenda tuorum
Limina? quo recto diuertes tramite primum?
Farnesios non una domus capit, & tamen omnes
Quisq; tuam ante alios ardet contingere dextram.
I, uaticanam in primis pete Principis aulam,
Dijsq; parem uenerare tuum tu poplite flexo
Laetus Auum, sacris insignis oscula plantis:
Ille suae simili contactus imagine formae,
Te dulci amplexu excipiet, gremioq; fouebit;
Hunc tu non quod Auus tantum uenerabere, nec quod
Teq; tuamq; domum domus cumularit, & astris
Farnesium genus intulerit, nomenq; locarit;
Sed quod & Italiam intrepidus seruauerit a mis
Intactam externis, Romanam & rem auxerit, et quod
Foedere composito totum pacauerit Orbem,
Impleritq; nouis terras uirtutibus, & iam
Numen habet, uitamq;, & Diuum accepit honores:
Iamq; salutato iuuenum fortissime Paulo,
Te quocunq; uelis iubeo diuertere, fratrem
Cui caput, & pectus roseo de murice fulget,
Siue patrem potius libeat tibi uisere primum,
Nil moueor, dulcis modo usa sit ultima coniux;
Quae si tristis erit, si se fortasse dolebit
Posthabitam, longa querulam solabere nocte,
Arte actum referens, alios prius arce petitos;
Scilicet, ut liber cara cum coniuge posses

Esse diu, & læto simul otia ducere uultu:
Sed propera, nanq; ante tuos ut prouidus annos
Visus Auo, patriq; ferox, magnusq; parenti,
Sic ingens hilari pulcherq; uidebere nuptæ:
Aduola, & ad thalamos læta te fronte pudicos
Desertosq; diu præstanti pectore confer:
Quin caue, ne longo nox hæc sermone trahatur,
Dum uelit illa tuos quoscunq; audire labores,
Quæ ficto sub Marte, feri sub imagine belli,
Rettuleris toties uictricis præmia palmæ,
Vix prima teneras signans lanugine malas:
Vt libycos fluctus, scopulosq; euaseris, Afros
Vt dare terga fugæ persæpe coegeris, ut quæ
Matrona qua, Sabisq; fluit, cum prælia Gallis
Miscueris, solitus te te obiectare periclis
Omnibus; hoc referas nolim fera prælia Martis
Tempore, sed Veneris dulcissima prælia misce:
Nocte etenim hac prima, primo (uentura uidemus)
Concubitu, grauidam felici sydere reddes;
Nascentur gemini carissima pignora nati,
Quorum alter Proaui generosum nomen habebit,
Alter Aui: qui (uita modo uenientibus annis
Permaneat) referent amborum fortia facta,
Factorumq; ambo fama super astra ferentur.
Spargite humum uiolis, per limina fundite flores
Purpureos, pictis date candida lilia cunis,
Cumq; suis non una modo, sed plurima longo
Ordine portetur filijs, & fœtibus arbos;

Adsint & citharæ passim, cantusq;, tubæq;,
Assyriam spirent lætissima compita nardum,
Quo pueris aqua pura die semel abluet atra
Si qua piis suberunt priscæ contagia labis.
Dicā equidē tam pace Remi, quàm pace Quirini,
Roma nouo augurio firmata, tuisq; gemellis,
Non modo maior erit, sed erit terra Itala maior:
Te duce, te tanto patre, & auspice, teq; magistro,
Pacis erunt duo lumina, erunt duo fulmina belli:
Nec ualidas patriæ uertent in uiscera uires;
Illius in Persas pro libertate feroces,
In Pœnos, Thracasq; ruent, stragemq; ciebunt;
Alter erit Castor, Pollux erit alter, & orbi
Iura dabunt, orbisq; Deos in uota uocabit.
Hinc olim cum tu nostras ueherere per undas
Iunctus Auo, scopuloq; ratis male cauta latenti
Hæsisset, fluuioq; ambos reuoluta dedisset;
Ipse ego summersos miseratus, uortice rauco
Eripui, dextramq; dedi, puerumq; senemq;
Seruaui incolumes cœli lætantibus astris;
Nam præuisa mihi fuerant fastigia rerum,
E uentura tuæ rerum pulcherrime genti,
Quantus Auo uenturus honos, quæ præmia laudum,
Qui tituli, quæ sceptra uirum, et solia alta manerēt;
Quæq; foret tanti generis uentura propago
Innumeros habitura Duces, Regesq; Deosq;
Nouimus; hinc atra nos tempestate solemus
Vt qui Romulidas prisco de more tueri,

Extemplo rapidis uerum'q; extraximus undis:
Tolle animo igitur, summo'q; inuectus Olympo,
Carpe uiam, & factis iterũ fer ad æthera Romam.
His dictis, pleno Tybris se condidit alueo,
Cui Nymphæ arrisere omnes, & carmine lætæ,
Vtraq; arundinea cinxerunt tempora fronde,
Miratæ magnum'q; patrem, uatem'q; uocarunt.

AD IOANNEM SILICAEVM

ARCHIEPISCOPVM

TOLETANVM.

LAETITIA Tagus exultans, caput arduus undis
Extulerat, rutilaq; comas cingente corona
In mare proruptum uasto cum flumine maior
Ibat, & insano stringebat uortice ripas:
Cum pater Oceanus spectans graue murmur ab alto,
Quis furor hic inquit, quo te Tage turbidus aufert
Impetus? & tanto propellis pectore pontum?
Ille autem: magna tumidus feror aequor in altum
Laetitia; & summum uideo me uertice caelum
Tangere; sublimem tam me noua gaudia tollunt:
Nec superasse pari Pactolum laude tumentem
Ditior aurifcris tam sum laetatus arenis
Olim equidem, quam nunc magno uirtutis honore,
Me (sic ipse reor) Tyberino aequasse superbo.
Sunt mihi magne pater curuis haerentia ripis
Oppida multa, suis multae cum moenibus Vrbes;

Nulla tamen sedes Toleto carior usquam est ;
Cumq; hic condiderim centum sublime columnis
Magnũ, opulentũ, ingens, solido de marmore tẽplum ;
Quin solido templum ex auro, argentiq; metallo,
Aequarimq; cauo tecti fastigia cœlo,
Hic & mille uiros ad cultum, & sacra deorum
Addiderim, innumeris late fumantibus aris ;
Deerat opum, atq; operis tanti moderamine dignus,
Quiq; foret pietate grauis, probitatis amator,
Relligione potens, obseruantissimus æqui,
Largus opum, recti custos, & cultor honesti ;
Nunc uoti sum compos, adest quem mente petebam,
Laudibus ante alios Siliceus clarior omnes ;
Quem mihi Cæsareo non tantum munere missum,
Sed reor à summo missum Ioue, & æthere ab alto,
Quo mea successu lætentur corda secundo,
Et Carpentanæ sint publica commoda genti.
An nescis quo dira fames inuasit Iberos
Tempore, et exanguis, per agros, per rura, per Vrbes,
Horrendum uisu, populorum turba iaceret ;
Principe quas magno dignas res gesserit ? auri
Quantum etenim in longi spatium sibi legerat anni,
Hoc una miseris diuisit gentibus hora :
Quin uisum hoc non esse satis, sua prata, domosq;
Vendidit, ut reliquis posset succurrere egenis.
Hic Ariæ casso fortunis omnibus, auri
Annua constituit numerati multa talenta,
Pauperiem & casum insontis miseratus amici.

Hic etiam argentum & cœnam legionibus ægris
Præbuit Hesperiam è Libya redeuntibus, omnes
Tempestas quos dira diu uexarat in alto·
Quam bene tẽpla super silice hoc fundata nitebũt,
Quamq; diu inuitis durabunt uiribus æui:
Quilibet è silice hoc flammas excudet, & ignem
Eliciet, male gratæ hyemis quo frigora pellat;
E silice hoc etiam gelidarum flumina aquarum
Prosilient, orbem largo quæ fonte rigabunt·
Vnde nec immerito, Rex maxime lætor, & astris
Inferor, una ipsis mecum exultantibus undis;
Nam posthac ripæq; meæ, & mea prata uirebunt;
Florebuntq; rosæ semper, mollesq; Hyacinthi,
Liliaq;, & uiolæ, & ferruginei Narcissi:
Quin uer perpetuum regnabit præside tanto,
Et læto passim ridebunt omnia cœlo;
Pastoresq; alacres, siluasq;, urbesq; uoluptas,
Naidas, & Dryadas, Faunosq; ferasq; tenebit;
Surget & in terris ætas tandem aurea nostris·
Vtq; loqui uero liceat mihi pectore uerum;
Semper magna meis fuit auri copia ripis,
Non eadem uirtutis adhuc, & littora, & Vrbes,
Nos quoniam, nostrasq; domos, & templa deorum,
Ornari uirtute magis quàm tendimus auro,
Lætamur uenisse uirum uirtute decorum,
Et longe ante alios præstantem laudibus, olim
Qui cultum, & ritus, arcanaq; sacra fouebit,
Cui diuum iam semper erunt altaria curæ;

Quo duce, relligio, pietas, rectumq; fidesq;,
Cumq; pudicitia probitas, & copia rerum,
Perpetuo fora lata colent, & strata uiarum;
Tanta uiri uirtus, tantum est in pectore numen;
Haec postq Oceanus placidus pater auribus hausit,
Laeticiaq; Tagum conspexit iure frementem;
Fecit iter sinuosa sui per littora ponti,
Precipitiq; uolans curru, diffudit in omnes
Terrarum partes, clarorum pectora Regum;
Tum laudes Silicaee tuas & praemia laudum
Extulit, atq; tuae cecinit praeconia famae.
Qua commotus, & ipse, tibi componere carmen
Constitui, ut scires Italis quoq; gentibus esse
Te celebrem, tua facta omnes uolitare per oras,
Immortale tuum ferri super aethera nomen.
Quumq; tibi dederit uiridi de fronde coronam
Ipse Tagus, Tybris roseo tua tempora serto
Mox cinget, trabeamq; dehinc sacrumq; tyaram
Cum sceptro dabit, & (dulcis modo uita supersit)
Nuntio, si quid habent ueri praesagia uatum,
Tu latio, & magnae tandem dominabere Romae.

EPICOEDIVM IN FVNERE CAROLI FARNESII.

E ne igitur miserande puer mors inuida nobis
Ante diem rapuit, teq; unguibus abstulit uncis?
Et tenerum crudo durissima funere mersit,
Ausa ferox immane nefas, scelus ausa pudendum?
Illa licet nulli parcat, tibi parcere tantum
Debuerat, qui tam dulcis, tam candidus, & tam
Pulcher eras, risuq; alacris, plenusq; leporum,
Deliciæ, lususq;, & gaudia magna Parentum:
Hei mihi, quid prodest uitem crescentibus uuis
Extirpare? quid immatura excerpere poma?
Frangere quid tenera turgentia lilia gemma?
Scilicet o Herebi & tenebrosæ filia Noctis,
Vt late uolitet celebris tua fama per orbem,
Vtq; tuum passim sit formidabile nomen,
Non unquam cessas aliquid patrare nefandum,
Ostentans uires pariter, dextramq; potentem?

Iam quantum ualeas, omnes male nouimus, almum
In puerum tanto commisso crimine, cui non
Vllæ artes, ulláq; manus, non cura, nec herbæ
Inuita dare te dulcem potuere salutem:
Omnibus in templis duplicarunt uota, precesq;,
Matres, atq; uiri, pueri, innuptæq; puellæ;
Nec quicquam iuuere, tua est inuicta potestas:
Non pudet, annosis senibus tremulisq; relictis,
Sepositisq; Vrsis informibus, acribus Apris,
Tigribus horrendis, iracundisq; Leænis,
Surgentem in puerum rabie sæuisse furenti?
An quia uos trahitis pulchér ima quæq; sub umbras,
Sperasti hoc Orco magnum fore munus auaro?
Spes hæc uana, puer nam pectore candidus, omni
Labe carens, fraudisq; expers, & purus, & insons
Carolus, ad superos humana cessit ab aula;
Atq; Chori qui cœlum habitant, qui magna per auras
Iussa Dei peragunt, patris & sacra nuntia portant,
Occurrere alacres puero, cœloq; locarunt,
Illorumq; Choro Deus hunc adiunxit ouanti.
Ne Cæsar, ne Paule, pij ne flete Parentes,
Sat data sunt madido lacrimarum flumina uultu,
Cum Tybris pater efferri per strata uiarum,
Funus ad usq; lacus Vulsinos sensit acerbum,
Sublatum clarorum humeris sub nocte uirorum,
Maiorumq; altis positum de more sepulcris.
Tuq; adeo Octaui, tuq; Austria, quos dolor ingens
Occupat e geminis uno spem præter adempto;

Accipite haec magni solatia maxima luctus;
Vt surgunt uno gemini de stipite rami,
Alter ubi auulsus, qui restat fortior alter
Erigitur, superasq; petit pulcherrimus auras,
Sic postquam cecidit sub primis Carolus annis,
Tollet Alexander se se, & caput inferet astris
Arduus, extendensq; manus, & brachia coelo,
Maior erit, crescet non expugnabile robur,
Contemnens rapidos imbres, uentosq; furentes.

AD IVLIVM TERTIVM PONT. MAX.

ONIDES Divae mea numina, adeste frequentes,
Linquite Parnassi montis iuga, linquite Campos
Phocidis, & mecum laetos effundite cantus,
Montibus ex alijs, campis'q; corona legenda est;
Caelesti texenda uiro nunc carmina, dulci
Digna lyra, quae nulla queat delere uetustas:
Eia agite, & placida quoniam recubamus in umbra,
Primum hominũ, superis'q; parem tollamus ad astra,
Pontificis'q; noui laudes & facta canamus.
Iulius a magno missus Patre, & aethere ab alto,
Turbatis rebus praesens apparuit orbi,
Ceu sol exoriens umbras, nubes'q; nigrantes
Discutit, & radijs omnes fulgentibus oras
Illustrans, claro recreat late omnia uultu,
Gaudia'q;, & lusus aegris mortalibus affert.
Audito tantum sublimi nomine Montis,
Qui'q; alacris duplices palmas ad sydera caeli
Sustulit, & grates Dijs immortalibus egit;

Vt qui magnanimum magnis in rebus agendis,
In dubijs cautum norint, durisq; periclis
Intrepidum, & pulchra semper pro laude gerentem
Ingentes, fortesq; animos, curasq; uiriles.
Illius aduentu rigido cum frigore turpis
Fugit hyems, redytq; comans, & purpureum uer:
Et nunc prata uirent, ludunt armenta per herbam,
Florescunt Campi, Montes & flumina rident,
Aetheriaeq; auium resonant concentibus aurae.
Iure igitur tanto latis hoc tempore terris
Rege dato, passim gentes noua gaudia captant,
Laetitiaq; fremant Vrbes & strata uiarum;
Nam pater accipiens sacri fulgentia sceptra
Imperij, gratum & memorem, mitemq; piumq;
Se dedit, & secum pacem dulcemq; quietem
Attulit, & laetae felicia tempora uitae.
Quae manibus uacuis, uacuo quae copia cornu
Nuper erat, macieq; atros tenuauerat artus;
Nunc manibus plenis, pleno nunc copia cornu
Fundit opes, nitidaq; uiret pulcherrima forma.
Iustitia ante alias exultat candida diuas,
In solio spectans tota quem mente petebat;
Quo tam saepe graui cum maiestate ministro,
Italiam bello ardentem, populosq; feroces
Rexerat, & placidis semper frenarat habenis:
Quaerite ab Aemilia, Piceno, Vmbrisq; uetustis,
Quiq; Padum Trebiamq; bibũt, Rubiconis et undas,
Romanoq; foro, & Romanis quaerite rostris;

Illum cuiq; suum semper tribuisse fatentur,
Et dixisse pari semper candore nitentem,
Ius populis sacrum, dextraq; & pectore firmo,
Aequatas stabili tenuisse examine lances;
Quid faciet posthac (rerum cui summa potestas)
Si fuit hoc nusquam priuato iustior alter,
Hic erit ante omnes princeps iustissimus, idem
Omnibus exemplum iuris, normamq; colendi,
Principibus tradet memoranda lege futuris.
Quàm sit largus opum, cūctisq; benignus in horas
Gentibus, & largo Reges quàm pectore uincat;
Obstupuere omnes, non quos tantum urget egestas,
Sed quos diuitijs præstare uidemus opimis;
Nanq; etiam dat opes, & dona ingentia uictis
Hostibus, & plusquam poscunt largitur, & omnes
Inuidiam passim extinguens, odiumq;, metumq;,
Muneribus cumulat miris, & honoribus auget.
Addite, quod summo tanta est prudentia rerum
Pontifici, ut nulla quid tempestate timendum
Sit nobis, sed habenda omnis spes, omnia habendi
Prospera, & hoc omnes erimus sub Principe læti.
Hinc Paulus par mente Deis, æuiq; futuri
Præscius, atq; uiri uirtutum conscius, illum
Ascripsit fratrum numero, fratremq; uocauit;
Esset ut hic tanti tantus successor honoris,
Ad laudem famamq; & publica commoda natus.
Non ursos hædus, non hoc pastore timebit
Agna lupum; montes errabunt tuta per altos

Armenta, & uigili paſcent cuſt de Capellæ;
Ipſæ ſe Charites uulgo, probitasq́;, fidesq́;,
Per fora ſpectandas, perq́; alta palatia tradent;
Barbarus accipiet noſtras hoc auſpice leges,
Aeternumq́; colet Romanas impius aras.

Ergo magne Pater, magnis extendere nomen
Factis perge tuum, fer te ſuper æthera claris
Laudibus, & totum comple uirtutibus Orbem;
Iam Nomades, iam te Thraces, te Aegyptus & Indi
Sponte colent, tibi templa dabit Nabatheus, & aſper
Caſpius, & molles mittent ſua thura Sabæi;
Aſpice lætantem tanti ſpe principis omnem
Italiam, Europamq́, & ſurgentem aſpice Romam,
Quæ rurſus Montes colit, & tam montibus altis
Tuta, renaſcentes ſpectando exultat Iulos,
Orbi iterum ſperans duce te dare iura ſubacto.

AD LIPARVM EQVVM SVVM.

I PARE qui longo formosas crine puellas,
Quiq; auri flauo rutilum candore metallum,
Et rapidos anteis animosis cursibus Euros;
Vade, age, carpe uiam lætanti pectore, non tu
Successore alio nostris ex ædibus actus
Spretus abis, non tu numerato ueditus auro.
Octaui coniux, & magno Cæsare nata
Austria, te fama laudum commota tuarum
Deposcit, mandat'q; dari pulcherrima mater
Crescenti decus eximium, & noua gaudia nato.
Ipse negem te ne huic? cui quantũ est quicqd honorum,
Quicquid opum est in me, deberi iure fatendum est,
Illa sibi tradi iubeat si rure auiti
Iugera, si tribui poscat sibi luminis orbes,
Rura, domos'q; mihi, mora non erit ulla, paternas
Tradere, & e cara diuellere lumina fronte.
Fortunate, coles regali splendida gaza
Atria, & excelsis sublimia tecta columnis,

Plena uiris, plena egregijs heroibus, & Dijs.
Excipient te plausu omnes, te laudibus omnes
Ornabunt, tollent'q; tuum super æthera nomen;
Commoda quæq; uelis uitæ iucunda dabuntur;
Nec tibi deliciæ deerunt, nec præmia laudum.
Magna parens, matrona potens, Dea candida terris
Austria, sæpe tua pascet sua lumina forma,
Læta'q; mulcebit niueis tua pectora palmis.
Auricomos famulæ centum persæpe capillos
Iam crurum tenus è dextra ceruice fluentes
Depectent certatim alacres, textos'q; retexent;
Hæc nectet prisco Aethiopum de more solutos,
Illa Sicambreo sinuosa uolumina nexu
Intorquens, triplici ornabit tua tempora nodo;
Istius arte, iuba intortas imitabitur undas,
Illius, implicitos referent tua colla colubros.
Dulcis Alexandri genitor Farnesius heros,
Vilibus ex humero phaleris utroq; reiectis,
Quas geris exiguo fortunæ munere nostræ,
Aurea fræna dabit, dabit aurea cingula, cultus
Nunc tibi purpureos, niueos nunc mittet, & auro
Argento'q; graues phaleras, gemmis'q; micantes.
Hinc puer ante alios quos educat Itala Tellus,
Pulchrior, impositus formoso Lipare tergo,
Ad Tarri, Antiæq;, & curuæ ad flumina Parmæ,
Longe erit insignis magis, & longe altior, & nos
Spectandi studio accurrent per strata uiarum
Matres, atq; uiri passim, pueri'q;, senes'q;:

Ille Deo similis fulgenti fronte nitebit
Ante leues currus, & clara ante ora parentum;
Lucifer ut roseus liquidis cum surgit ab undis,
Auroræ, solisq; citas nitet ante quadrigas.
Nec dubita, quod dira locis his bella gerantur,
Boiorumq; ferus totis Mars sæuiat aruis;
Non te ad bella uocant, nec ad ulla pericla, nec ullos
Ancipites casus aut tædia longa laborum;
Quamuis militiæ duros perferre labores,
Et sis Martis opus, sis bella capessere suetus;
Multaq; Sarmaticos per campos gesseris, orbe
In patrio, inq; Italis dignissima laudibus oris;
Hi te ad delicias, ad lucida templa deorum,
Muneraq; & lætæ poscunt solennia pompæ.
Vnum oro ne dona Ducum, studiumq; fauorq;
Immemorem te forte mei pulcherrime reddant:
Lipare care mihi magis o' quàm Xanthus Achilli,
Care magis Glauci nato quàm Pegasus, Aethon
Priamidæ, fratri Pollucis Cyllarus olim,
Sæpe precor subeant tibi nostri pignora amoris,
Ornarim quoties tua colla comantia sertis,
Quot capiti aptarim uiridi de fronde corollas,
Quotq; tuæ dederim laudes & carmina formæ.
In mentem ueniat, nimbos densantibus austris,
Frigoraue alpinis spirantibus horrida cauris,
Cænosoue solo, aut horrenti nocte tenebris,
Te nunquam eductum stabulis, & limine nostro;
Me quoq; non unquam grauibus sæuisse flagellis,

Tristibus aut loris, aut lentæ uerbere uirgæ;
Nec fodisse tuos duris calcaribus armos.
Non nisi me festis, te conscendisse diebus
Sis memor, & clara iucundæ lucis in hora,
Admirante hominum infusorum plebe per Vrbem,
Romulidumq; choro & patrum ridente corona.
Quid referam qua lætitia plausuq; puellæ
Spectabant longe è speculis & turribus altis
Te calidis ardentem animis, spumam ore cientem,
Ora indignantem duris obsessa lupatis,
Luxuriante coma, & rutila ceruice superbum?
Matres atq; nurus, nuptæ, innuptæq; flagrantes
Inuidia, captæq; iubæ flauentis amore,
Optabat sibi quæq; tuos in fronte capillos,
Suspirans speciem pariter crinemq; comantem.
Vna tuo dolet ante alias meus ignis Himera
Lipare discessu, lacrimasq; effundit amaras,
Et queritur, postquam sperat non amplius unquam
Posse uehi nitido per prata uirentia dorso.
Illa habitu quoties Nymphas referebat agrestes,
Nuda genu, tunicaq; humeros uelata recincta,
Te uectore, noua superabat candida forma
Formosã Harpalicẽ, Phyalenq;, Hyalenq;, Rhaninq;.
I, tamen i, felix; luctu fletuq; puella
Vt lubet assiduo teneros corrumpat ocellos,
Perge, age, & in primo, posito pede, limine Regum,
Hinnitu caua tecta reple sublimis acuto,
Aduentu fremituq; tuo domus alta resultet.

Hinc

Hinc humeris puerum placidissimus accipe firmis,
Mollia crura moue, stet recta, sit ardua ceruix,
Vngula non ullis offendat cornea saxis,
Difficiles aditus cautus uita, effuge saltus,
Teq; tuosq; pedes oculis uigilantibus infer.
Quin super haec animis noua gaudia cócipe laetis,
Nanq; ubi adhuc ualidum inuadet te prima senectus;
Non te reijcient, non te praesepibus altis
Extrudent; uerum inter equas ad pascua amorum,
Ad Veneris castra, & gratissima pabula mittent:
Tutus ages ubi semper ouans aeuum omne per arua
Florida, & irriguos undis properantibus amnes;
Mollibus illecebris nitidarum allectus equarum,
Nunc placidos recubans herboso in gramine somnos,
Nunc errans uiridi in campo sata dulcia carpes,
Totaq; ductorem passim te armenta sequentur;
Tuq; tibi similesq; tuae formaeq; iubaeq;
Aspicies natos, claraq; è stirpe nepotes.

Conclauibus læta ocia occlusis agunt,
Temnuntq; nimbos & niues:
Pomis agrestibus, bordeoq; & tritico,
Herbisq; suaue halantibus,
Munera imitantur sedulo Bacchi patris,
Ob inopiam uini grauem:
Ducunt libenter prandia, & fando moras,
Horasq; potando terunt:
Rusticus habetur, antequam bibat, aut malus,
Qui non propinat alteri:
Fieri potest è chalibe quicquid, & ære,
Auroq; faciunt affabre:
Clari eruditione, non pauci sacris
Male sentiunt de ritibus:
In bella ferro lucido tecti ruunt,
Tormenta torquent acriter;
Opima cingunt latera latis ensibus
Breuibusq, & absq; cuspide;
De more cæsim patrio pugnant, nefas
Hostem impetere punctim, & scelus:
Gens magnitudine corporum insignis: minas
In fronte turgidas gerit:
Legem seueram militaris ordinis
Obseruat imperterrita:
Immota, uoce ferrea hostem in prælium
Vibrans sarissas prouocat:
Hinc & premit funditq; numero militum
Præstantiores copias:

Iam quantum ualeas, omnes male nouimus, almum
In puerum tanto commisso crimine, cui non
Vllæ artes, ulläq; manus, non cura, nec herbæ
Inuita dare te dulcem potuere salutem:
Omnibus in templis duplicarunt uota, precesq;,
Matres, atq; uiri, pueri, innuptæq; puellæ;
Nec quicquam iuuere, tua est inuicta potestas:
Non pudet, annosis senibus tremulisq; relictis,
Sepositisq; Vrsis informibus, acribus Apris,
Tigribus horrendis, iracundisq; Leænis,
Surgentem in puerum rabie sæuisse furenti?
An quia uos trahitis pulcher ima quæq; sub umbras,
Sperasti hoc Orco magnum fore munus auaro?
Spes hæc uana; puer nam pectore candidus, omni
Labe carens, fraudisq, expers, & purus, & insons
Carolus, ad superos humana cessit ab aula;
Atq; Chori qui cœlum habitant, qui magna per auras
Iussa Dei peragunt, patris & sacra nuntia portant,
Occurrere alacres puero, cœloq; locarunt,
Illorumq; Choro Deus hunc adiunxit ouanti.
Ne Cæsar, ne Paule, pij ne flete Parentes,
Sat data sunt madido lacrimarum flumina uultu,
Cum Tybris pater efferri per strata uiarum,
Funus ad usq; lacus Vulsinos sensit acerbum,
Sublatum clarorum humeris sub nocte uirorum,
Maiorumq; altis positum de more sepulcris.
Tuq; adeo Octaui, tuq; Austria, quos dolor ingens
Occupat e geminis uno spem præter adempto;

Accipite hæc magni solatia maxima luctus;
Vt surgunt uno gemini de stipite rami,
Alter ubi auulsus, qui restat fortior alter
Erigitur, superasq; petit pulcherrimus auras,
Sic postquam cecidit sub primis Carolus annis,
Tollet Alexander se se, & caput inferet astris
Arduus, extendensq; manus, & brachia cœlo,
Maior erit, crescet non expugnabile robur,
Contemnens rapidos imbres, uentosq; furentes.

AD IVLIVM TERTIVM PONT. MAX.

ONIDES Divae mea numina, adeste frequentes,
Linquite Parnassi montis iuga, linquite Campos
Phocidis, & mecum laetos effundite cantus,
Montibus ex alijs, campis'q; corona legenda est;
Caelesti texenda uiro nunc carmina, dulci
Digna lyra, quae nulla queat delere uetustas:
Eia agite, & placida quoniam recubamus in umbra,
Primum hominũ, superis'q; parem tollamus ad astra,
Pontificis'q; noui laudes & facta canamus.
Iulius a magno missus Patre, & aethere ab alto,
Turbatis rebus praesens apparuit orbi,
Ceu sol exoriens umbras, nubes'q; nigrantes
Discutit, & radijs omnes fulgentibus oras
Illustrans, claro recreat late omnia uultu,
Gaudia'q;, & lusus aegris mortalibus affert.
Audito tantum sublimi nomine Montis,
Qui'q; alacris duplices palmas ad sydera caeli
Sustulit, & grates Dijs immortalibus egit;

Vt qui magnanimum magnis in rebus agendis,
In dubijs cautum norint, durisq; periclis
Intrepidum, & pulchra semper pro laude gerentem
Ingentes, fortes'q; animos, curas'q; uiriles.
Illius aduentu rigido cum frigore turpis
Fugit hyems, redyt'q; comans, & purpureum uer:
Et nunc prata uirent, ludunt armenta per herbam,
Florescunt Campi, Montes & flumina rident,
Aetheria'q; auium resonant concentibus aurae.
Iure igitur tanto latis hoc tempore terris
Rege dato, passim gentes noua gaudia captant,
Laetitia'q; fremant Vrbes & strata uiarum;
Nam pater accipiens sacri fulgentia sceptra
Imperij, gratum & memorem, mitem'q; pium'q;
Se dedit, & secum pacem dulcem'q; quietem
Attulit, & laetae felicia tempora uitae.
Quae manibus uacuis, uacuo quae copia cornu
Nuper erat, macie'q; atros tenuauerat artus;
Nunc manibus plenis, pleno nunc copia cornu
Fundit opes, nitida'q; uiret pulcherrima forma.
Iustitia ante alias exultat candida diuas,
In solio spectans tota quem mente petebat;
Quo tam saepe graui cum maiestate ministro,
Italiam bello ardentem, populos'q; feroces
Rexerat, & placidis semper fraenarat habenis:
Quarite ab Aemilia, Piceno, Vmbris'q; uetustis,
Qu'q; Padum Trebiam'q; bibũ, Rubiconis et undas,
Romane'q; foro, & Romanis quaerite rostris;

Illum cuiq; suum semper tribuisse fatentur,
Et dixisse pari semper candore nitentem,
Ius populis sacrum, dextraq; & pectore firmo,
Aequatas stabili tenuisse examine lances;
Quid faciet posthac (rerum cui summa potestas)
Si fuit hoc nusquam priuato iustior alter,
Hic erit ante omnes princeps iustissimus, idem
Omnibus exemplum iuris, normamq; colendi,
Principibus tradet memoranda lege futuris.
Quàm sit largus opum, cũctisq; benignus in horas
Gentibus, & largo Reges quàm pectore uincat;
Obstupuere omnes, non quos tantum urget egestas,
Sed quos diuitijs præstare uidemus opimis;
Nanq; etiam dat opes, & dona ingentia uictis
Hostibus, & plusquam poscunt largitur, & omnes
Inuidiam passim extinguens, odiumq;, metumq;,
Muneribus cumulat miris, & honoribus auget.
Addite, quod summo tanta est prudentia rerum
Pontifici, ut nulla quid tempestate timendum
Sit nobis, sed habenda omnis spes, omnia habendi
Prospera, & hoc omnes erimus sub Principe læti.
Hinc Paulus par mente Deis, æuiq; futuri
Præscius, atq; uiri uirtutum conscius, illum
Ascripsit fratrum numero, fratremq; uocauit;
Esset ut hic tanti tantus successor honoris,
Ad laudem famamq, & publica commoda natus.
Non ursos hædus, non hoc pastore timebit
Agna lupum; montes errabunt tuta per altos

Armenta, & uigili pascent custode Capellæ;
Ipsæ se Charites uulgo, probitasq;, fidesq;,
Per fora spectandas, perq; alta palatia tradent;
Barbarus accipiet nostras hoc auspice leges,
Aeternumq; colet Romanas impius aras.
Ergo magne Pater, magnis extendere nomen
Factis perge tuum, fer te super æthera claris
Laudibus, & totum comple uirtutibus Orbem;
Iam Nomades, iam te Thraces, te Aegyptus & Indi
Sponte colent, tibi templa dabit Nabathæus, & asper
Caspius, & molles mittent sua thura Sabæi;
Aspice lætantem tanti spe principis omnem
Italiam, Europamq; & surgentem aspice Romam,
Quæ rursus Montes colit, & tam montibus altis
Tuta, renascentes spectando exultat Iulos,
Orbi iterum sperans duce te dare iura subacto.

AD LIPARVM
EQVVM SVVM.

LIPARE qui longo formosas
crine puellas,
Quiq; auri flauo rutilum candore
metallum,
Et rapidos anteis animosis cursibus
Euros;
Vade, age, carpe uiam lætanti pectore, non tu
Succeßore alio nostris ex ædibus actus
Spretus abis, non tu numerato uenditus auro.
Octaui coniux, & magno Cæsare nata
Austria, te fama laudum commota tuarum
Deposcit, mandat'q; dari pulcherrima mater
Crescenti decus eximium, & noua gaudia nato.
Ipse negem te ne huic, cui quantũ et quicqd honorum,
Quicquid opum est in me, deberi iure fatendum est,
Illa sibi tradi iubeat si ruris auiti
Iugera, si tribui poscat sibi luminis orbes,
Rura, domos'q; mihi, mora non erit ulla, paternas
Tradere, & è cara diuellere lumina fronte.
Fortunate, coles regali splendida gaza
Atria, & excelsis sublimia tecta columnis,

Plena uiris , plena egregijs heroibus , & Dijs .
Excipient te plausu omnes , te laudibus omnes
Ornabunt , tollent'q; tuum super æthera nomen ;
Commoda quæ'q; uelis uitæ iucunda dabuntur ;
Nec tibi deliciæ deerunt , nec præmia laudum .
Magna parens, matrona potens, Dea candida terris
Austria , sæpe tua pascet sua lumina forma ,
Læta'q; mulcebit niueis tua pectora palmis .
Auricomos famulæ centum persæpe capillos
Iam crurum tenus è dextra ceruice fluentes
Depectent certatim alacres , textos'q; retexent ;
Hæc nectet prisco Aethiopum de more solutos ,
Illa Sicambreo sinuosa uolumina nexu
Intorquens , triplici ornabit tua tempora nodo ;
Istius arte , iuba intortas imitabitur undas,
Illius , implicitos referent tua colla colubros .
Dulcis Alexandri genitor Farnesius heros ,
Vilibus ex humero phaleris utroq; reiectis ,
Quas geris exiguo fortunæ munere nostræ ,
Aurea frena dabit , dabit aurea cingula , cultus
Nunc tibi purpureos , niueos nunc mittet , & auro
Argento'q; graues phaleras , gemmis'q; micantes .
Hinc puer ante alios quos educat Itala Tellus ,
Pulchrior , impositus formoso Lipare tergo ,
Ad Tarri , Antiæ'q; , & curuæ ad flumina Parmæ ,
Longe erit insignis magis , & longe altior , & nos
Spectandi studio accurrent per strata uiarum
Matres , atq; uiri passim , pueri'q; , senes'q; :

Ille Deo similis fulgenti fronte nitebit
Ante leues currus, & clara ante ora parentum;
Lucifer ut roseus liquidis cum surgit ab undis,
Auroræ, solis'q; citus nitet ante quadrigas·
Nec dubita, quod dira locis his bella gerantur,
Boiorum'q; ferus totis Mars sæuiat aruis;
Non te ad bella uocant, nec ad ulla pericla, nec ullos
Ancipites casus aut tædia longa laborum;
Quanuis militiæ duros perferre labores,
Et sis Martis opus, sis bella capessere suetus;
Multa'q; Sarmaticos per campos gesseris, orbe
In patrio, in'q; Italis dignissima laudibus oris;
Hi te ad delicias, ad lucida templa deorum,
Munera'q; & lætæ poscunt solennia pompæ·
Vnum oro ne dona Ducum, studium'q; fauor'q;
Immemorem te forte mei pulcherrime reddant:
Lipare care mihi magis o' quàm Xanthus Achilli,
Care magis Glauci nato quàm Pegasus, Aethon
Priamidæ, fratri Pollucis Cyllarus olim,
Sæpe precor subeant tibi nostri pignora amoris,
Ornarim quoties tua colla comantia sertis,
Quot capiti aptarim uiridi de fronde corollas,
Quot'q; tuæ dederim laudes & carmina formæ·
In mentem ueniat, nimbos densantibus austris,
Frigoraue alpinis spirantibus horrida tauris,
Cænosoue solo, aut horrenti nocte tenebris,
Te nunquam eductum stabulis, & limine nostro;
Me quoq; non unquam grauibus sæuisse flagellis,

Tristibus aut loris, aut lentæ uerbere uirgæ;
Nec fodisse tuos duris calcaribus armos.
Non nisi me festis, te conscendisse diebus
Sis memor, & clara iucundæ lucis in hora,
Admirante hominum infusorum plebe per Vrbem,
Romulidumq; choro & patrum ridente corona.
Quid referam qua lætitia plausuq; puellæ
Spectabant longe è speculis & turribus altis
Te calidis ardentem animis, spumam ore cientem,
Ora indignantem duris obsessa lupatis,
Luxuriante coma, & rutila ceruice superbum?
Matres atq; nurus, nuptæ, innuptæq; flagrantes
Inuidia, captæq; iubæ flauentis amore,
Optabat sibi quæq; tuos in fronte capillos,
Suspirans speciem pariter crinemq; comantem.
Vna tuo dolet ante alias meus ignis Himera
Lipare discessu, lacrimasq; effundit amaras,
Et queritur, postquam sperat non amplius unquam
Posse uehi nitido per prata uirentia dorso.
Illa habitu quoties Nymphas referebat agrestes,
Nuda genu, tunicaq; humeros uelata recincta,
Te uectore, noua superabat candida forma
Formosã Harpalicẽ, Phyalenq;, Hyalenq;, Rhaninq;.
I, tamen i, felix; luctu fletuq; puella
Vt lubet assiduo teneros corrumpat ocellos,
Perge, age, & in primo, posito pede, limine Regum,
Hinnitu caua tecta reple sublimis acuto,
Aduentu fremituq; tuo domus alta resultet.

Hinc

Hinc humeris puerum placidissimus accipe firmis,
Mollia crura moue, stet recta, sit ardua ceruix,
Vngula non ullis offendat cornea saxis,
Difficiles aditus cautus uita, effuge saltus,
Teq; tuosq; pedes oculis uigilantibus infer.
Quin super haec animis noua gaudia côcipe laetis,
Nanq; ubi adhuc ualidum inuadet te prima senectus;
Non te reijcient, non te praesepibus altis
Extrudent; uerum inter equas ad pascua amorum,
Ad Veneris castra, & gratissima pabula mittent:
Tutus ages ubi semper ouans aeuum omne per arua
Florida, & irriguos undis properantibus amnes;
Mollibus illecebris nitidarum allectus equarum,
Nunc placidos recubans herboso in gramine somnos,
Nunc errans uiridi in campo sata dulcia carpes,
Totaq; ductorem passim te armenta sequentur;
Tuq; tibi similesq; tuae formaeq; iubaeq;
Aspicies natos, claraq; è stirpe nepotes.

Conclauibus læta ocia occlusis agunt,
Temnuntq; nimbos & niues:
Pomis agrestibus, hordeóq; & tritico,
Herbisq; suaue halantibus,
Munera imitantur sedulo Bacchi patris,
Ob inopiam uini grauem:
Ducunt libenter prandia, & fando moras,
Horasq; potando terunt:
Rusticus habetur, antequam bibat, aut malus,
Qui non propinat alteri:
Fieri potest è chalibe quicquid, & ædro,
Auróq; faciunt affabre:
Clari eruditione, non pauci sacris
Male sentiunt de ritibus:
In bella ferro lucido tecti ruunt,
Tormenta torquent acriter;
Opima cingunt latera latis ensibus
Breuibusq, & absq; cuspide;
De more cæsim patrio pugnant, nefas
Hostem impetere punctim, & scelus:
Gens magnitudine corporum insignis: minas
In fronte turgidas gerit:
Legem seueram militaris ordinis
Obseruat imperterrita:
Immota, uoce ferrea hostem in prælium
Vibrans sarissas prouocat:
Hinc & premit funditq; numero militum
Præstantiores copias:

Vsq; adeo ut acri Marte fortis, sæpius
Stragem cruentam fecerit.
Diro que fato Romuli nepotibus;
Abstulerit imperij decus:
Sibiq; nostra signa uendicauerit,
Et sæptra terrarum ferox.

Magne

DE GALLIA AD RANVTVM FARNESIVM CARDINALEM.

MAGNE Ranute, suos Mauortia Gallia fines,
Rhenum amnem, montes'q; Pyrenes,
Et gelidas Alpes, & longi flumina Vari
Late habet, Oceanum'q; sonantem:
Illa licet potius bellis propensa gerendis
Inuigilet, quàm dulcibus aruis:
Tota tamen campis passim patet hospita apertis,
Præter agros uenatibus aptos:
Sponte sua longe plures uberrima Tellus
Fundit opes, quàm cura colendi:
Quilibet impatiens operum est, uigilum'q; laborum,
Ocia amat, lusus'q;, iocos'q;:
Gaudet equis, gaudet canibus, Iouis alite docta
Captat aues, leporem'q; fugacem:
Præcipites cursu Damas, iaculis'q; fatigat,
Et Ceruos capita alta ferentes:
Crastina non curant, non curant perdita, cunctis
Mos curas expellere Baccho:
Concelebrant plena conuiuia mutua mensa,

Plectra mouent, agitant'q; choreas:
Indulgent Genio & Veneri; dare basia fas est;
Et manibus tractare papillas:
Vlterius tentasse nefas; nanq; omnibus & si
Libertas est summa puellis;
Innuptæ nuptæ'q;, etiam custode remoto,
Cunctæ casta cubilia seruant:
Hinc omnis fœcunda parens, magnó'q; uirorum
Nunc numero gens celtica præstat:
Discendi studijs ardet, studijs'q; seueris
Incumbit, floret'q; iuuentus:
Nũc quoq; arte potens(ut quondã)et strenua pubes,
Et studijs asperrima belli est:
Ostro auro'q; in equis stratis se ostentat, & armis
Horrisonis, galea'q; comanti:
Bile tument subita, celeri'q; ferocia sumunt
Arma manu, & fera prælia miscent:
Arte ualent non tam, duro quàm robore, nec tam
Soli, quam simul agmine facto:
Sed forti cataphractus equo sublimis, & hasta,
Ante alios acerrimus omnes·
Iam nostro de more solent tondere capillum,
Et rigidam promittere barbam:
Et nostros habitus, tunicas'q; & pallia culti
Apta gerunt, enses'q; minaces:
Obseruant Regem, Regem admirantur, in ipsos
Est Reges amor omnibus ingens;
Belgarum præter partem quæ subdita sceptris

Cæſareis ; & proxima Rheno *eſt* :
Q uin pro Rege *feris obiectant corpora bellis*,
Perq; petunt caua uulnera mortem:
Hinc facili imperio , & placidis moderatur habenis
Rex *omnes , populosq́; , patresq́;* :
Hinc longe ante alios fului ditiſſimus auri ,
Cum libuit , bella hoſtibus infert :
Hinc, in Achæmenios *,pro* Relligione*, feroces*,
Bella mouet , dans ſtragis aceruos :
Aſſertorq́; ſacros ad ritus uertit Idumen ,
Deportatq́; ex hoſte triumphos :
Tu decus o noſtrum , gallis de Regibus *audi* ,
Q uod uiſu & mirabile dictu eſt :
Continet in Rhemis *ungenda ad corpora* Regum,
Fragrantem breuis urna liquorem ;
Cui ſi detrahitur , ſi quid,cum poſtulat uſus,
Demitur , & nihil additur unquam ;
Seruat adhuc imbuta ſemel tamen urna perennem,
Semper eodem plena tot annos :
Rex *etiam ſtrumas ſquallentes gutture tacto*
Languentum , ſanatq́; , fugatq́; :
Q ui miſeris pede Pyrrhus *opem,quiq;* Aelius *ægris*
Dextra olim perſæpe ferebat ;
Iam cedant Henrice *tibi tu numine plenus* ,
Diuini tu numinis inſtar ,
Semper ades populis manifeſto numine egenis ,
Magnorum Rex *maxime* Regum .

DE HISPANIA AD IOANNEM CASAM, ARCHIEPISCOPVM BENEVENTANVM.

MORTALIVM *suaue est generi Casa,*
Mores & Vrbes conspicere exteras,
Sed suauius, tandem redisse
incolumem ad patrios penates:
Partes ut Orbis, Iane uir optime
Visas omittam dicere cateras;
Dicam tuis quæ digna Musis,
Vltima in Hesperia notaui:
Sucronem, Iberumq́, & Sicorim, & Tagum,
Bætimq́, Lethemq́, & Durium, atq; Anam
Transiuimus; lustrauimusq́
Temporibus loca clara priscis:
Carthago uisa est, portus, & Insula,
Duraq́; funus triste Numantiæ;
Mundæq́; deformes ruinæ;
Et rogus, & cineres Sagunthi:
Necnon Ilerda, & Corduba, & Astigis,
Augustæ, & Augusti Oceani ad uada
Aequata cœlo celsa Turris,
Curaq́, Tarraco Scipionum:
Auri metallo terra ferax scatet,
Argento abundat, marmoribus nitet,

Dat poma, equos pascit frementes,
Et Zephyro fruitur tepenti:
Est sermo genti pene latinus, &
Romana uox est oribus omnium,
Vt qui sonum inuicti nepotes,
Magnanimum referant Auorum:
Cunctis decorum est palliolum, & breue;
Ensis'q; acutæ cuspidis aureus;
Cultu'q, uerbo'q; elegantes,
Iure hominum alliciunt amores.
Blandi sequuntur castra Cupidinis,
Sed uerba dant, non munera callidi;
Nigris puellæ sunt ocellis,
Et lepidæ, cupidæ'q; laudum.
Martis sequuntur castra libentius
Fortes Iberi, robore & artibus
In prælio præstant, ferunt'q;
Aestum, hyemem'q;, famem, sitim'q;:
Nostris fuerunt temporibus Duces
Pleri'q; bellis insuperabiles,
Magnis'q; præclari triumphis,
Laudibus & meritis superbi:
Consalue te non Indibilis fuit
Præstantior, te Borgia non Cydus,
Te Laua non Mandonius, nec
Cortesio Viriatus armis:
Terræ fere omni, gloria'q; & decus
Mauortis, inuictus'q;, deum genus,

E, Noricis Dux primus oris,
Iura dat, imperitat'q; Cæsar.

DE BELGIS AD PHILIPPVM ARCHINTVM. Episcopum.

NVNC Archinte mihi cum uacet, & tibi
A me res libeat noscere belgicas;
Scriptis expediam, demorer ut tua
Grato tempora carmine.
BELGAE pars gelidæ tertia Galliæ,
A Gallis odio non modo dissident,
Verum bella gerunt sæpius effera
Inter se ualida manu:
Vt quondam ante alios nunc quoq; fortibus
Armis at q; animis bellum ineunt graue,
Extantes humeris, & capite arduo,
Vultu & uocibus horridi:
Verum nunc alys moribus enitent,
Quam quondam: rigidi mentibus asperis
Prisci illi Indigenæ, & difficiles erant,
Nec dextram hospitio dabant:
Paulatim posita gens feritate, se
Læto finitimis pectore præbuit,
Admisit'q; domum mitius aduenas,
Et commertia miscuit:

Iam lucri studio quenq; palàm sua
Permutare iuuat, iam iuuat aureos
Collectæ loculos ferre pecuniæ,
Es componere opes placet :
Euenitq;, sit ut nulla laboribus
Quæ plus inuigilet natio, nec magis
In terris regio diuitys potens
Hoc æuo, aut opulentior :
In terræ spacio cernere erit breui,
Vrbes innumeras, innumera Oppida,
Hinc atq; hinc populis plena frequentibus,
Cincta & mœnibus arduis :
Huc gentes uariæ uestibus undiq;
Et linguis uolitant : huc se Arabes ferunt,
Huc Thrax horridus, huc Indus, & Aethiops,
Et fuscum Antipodum genus :
Hi gemmas teretes, poculaq; aurea,
Nardum illi liquidum, thuraq; mascula,
Et pingues casias, quassaq; Cinnama,
Plenis nauibus afferunt :
Ipsi uero alias inter opes, opus
Mittunt purpureum, cui Tyros inuidet;
Et telæ tenuis stamina candida;
Cui cedit pharius labor :
Arte Aulæa noua picta decentius
Texunt Attalicis uersicoloribus;
Vt uisis, stupeant lumina Palladis,
Ipsum nedum hominum genus :

Extremi (fateor) sunt Morini; tamen
Si merces uideas, si populos, si opes,
Concursusq́; ratesq́; in medio situm
Orbe, Orbis referes forum.

FRANC. FRANCHINI COSENTINI

ELEGIAE.

AD LEVCIAM.

VNQVID adhuc rabida perstas immanis in ira?
Et iuuat hyrcanæ pergere more feræ?
Horribilis nueo feritas in pectore, turpis,
Turpis formoso toruus in ore furor:
Nec semper tigris, nec semper sæuit hyæna,
Sæpe lupæ mites, sæpe Leæna pia est:
Ecquid erit turbasse comas, rupisse capillum?
Me'q; oras tunicæ dissoluisse tuæ?
Non ne potis tibi sum tunicas & tradere pallam,
Quales ferre omnis culta puella solet?
Ad tua, qua, ueni secreta cubilia, nocte.
Quaq; uelim claudos nocte habuisse pedes,
Aedibus ex ipsis mecum noua iurgia traxi,
Quin & mentis egens, & male sanus eram:
Tu'q; minus fatui grauibus commota mariti,
Opposita trudis corpora nostra manu:
Cũq; ego, quæ noua res? quidnã facis improba? clamo;
Quæ clamore nouo non maledicta iacis?

Sed non ulla meam poterit diuertere mentem
  Rixa, nec ex imis uellere uisceribus;
Quin te semper amem grato deuictus amoris
  Vulnere, quin placito tactus ab igne sequar:
Iurgia concordes gigni, iuuat, inter amantes,
  Pectora ut amborum fortius urat amor:
Iurgia sunt blandi, non parua alimenta caloris,
  Vtq; diu faciunt iurgia, duret amor:
Hæc stimulos tardis, hæc fræna furentibus addunt;
  Hæc querulo frangunt aspera corda sono:
Iurgia quin uiduos uidi coniungere amantes,
  Pacem perpetuis & peperisse toris:
Finge ab amore minas, litesq;, irasq; metusq;,
  Esse procul; terris non erit ullus amor:
Me miserum si facta uelim, si dicta referre,
  Quæ fuerim regnis passus amara tuis:
Sæpius & crines, & uultus ungue recisos,
  Sæpius, heu, nulli probra ferenda tuli:
Libera lingua tibi semper fuit, & manus, & dens;
  Multa ego; tu solum hoc ferrea ferre nequis?
Quid facis o decus, & Romanæ gloria formæ;
  Nonne uiri spectas gaudia summa tui?
Nunc tacitis quicquid uotis optauerat olim,
  Victor habet; dum nos bella fouere uidet:
Nostro age, sic hosti nunc assentire, precanti
  Perpetuum nobis Leucia dissidium:
Forsitan & de me narrat tibi multa, uocatq;
  Insidum, atq; odij semina mille iacit:

Quæq; hominis quondam contemnere dicta solebas,
Nunc facili uereor ne satis aure bibas:
Atq; , odium crudele reor te pectore duro
Exercere diu , pulsus ut excrucier :
Iam non posse diem , sine te , me uiuere , nosti ,
Me nosti imperio succubuisse tuo :
Vror amore tui (fateor mea Leucia) amore
Macror, & toto pectore discrucior:
Non aliter , quàm tu nostram cum sæpe subibas
Sola domum ignaro nocte silente uiro :
Sub mediumq; diem mutata ueste petebas
Cum me sollicito semirecincta pede,
Mutuus est , & erit nobis dum uita manebit,
Insitus amborum mentibus unus amor:
Nec contra pugnare licet , nec tollere uis est
Quo premimur , cui sunt subdita colla iugo:
En mitis , ridensq; tuum complectere amantem ,
Quaq; soles hilari suscipe fronte Dea :
Quas ego delicias uideo cum pace perenni ;
Quæ uideo æterna fœdera iuncta fide.

DE IANO ANYSIO AD VINDEMIAS PROFICISCENTE.

Ordida rura petit desertis Ianus amicis,
Impleat ut multo dolia multa mero:
S *Nec mihi scire licet, paucis num fuge-rit Vrbem,*
Incolet an multis prædia luciferis:
Quod si forte abijt citò nos uisurus; ouantem
Anysium dulcis tunc rogo Bacchus amet:
Et faciat, largo spumet uindemia labro;
Innumeros uincant pinguia musta cados:
Si uero trahet usq; moras, dans uerba relictis;
Anysium uana spe deus ultor alat:
Arescant'q; omnes ipsis cum uitibus uuæ;
Et capiat totos parua lagena lacus:
Sit procul hinc omen; calcatis pinguibus uuis,
Protinus admisso rura relinquet equo:
Lætior adueniet generosi diues Iacchi;
Ille nouis referet pectora plena iocis:
Eia agite Anysio conuitia multa Coloni
Congerite, & magnis aspera uerba sonis:
Vsq; adeo ut crebris commotus uocibus, ad nos
Aduolet, & grati deserat arua soli:
Non est natus agro, non uillis ille colendis;
Parthenope media est dignus, & Vrbe Remi.

AD CORIOLANVM MARTYRIANVM EPISCOPVM.

Tu quereris quod te placidæ Deus ille qetis
Somnus amet: quod me non amet, ipse queror;
Nullus erit, somni blandum qui uitet amorem:
Nec qui cum somno prælia dura gerat:
Nam nihil esse potest, dulces quàm carpere somnos,
Dulcius humanis sollicitudinibus:
Ille facit dites animos Deus, ille furentes
Comprimit, & leni membra sopore rigat:
Ille graues abigit curas, adimit'q; dolores,
Corpora'q; assiduo fessa labore leuat:
Quid tu igitur quereris gratissima munera somni?
Desine uelle queri, me sine posse queri:
Ah quoties ego Coriolane papauera ad aram
Spargo, ferat lasso somnus ut almus opem:
Et templi postes gallorum sanguine tingo,
Atq; Dei numen supplice uoce rogo:
Ille tamen nunquam faciles mihi commodat aures,
Nec mea uerba ualent nec mea uota iuuant:
At bonus & facilis, placidissimus ille Deorum est;
Exaudit'q; preces, supplicibus'q; fauet:
Sed dea, quæ miscet spinosis gaudia curis,
Torquet agens tristi me Cytherea iugo:
Nuper in arbitrium misit me diua puellæ,

Qua non in terris altera pulchra magis
Blanditijs postquam cœpit me Leucia, sæuit,
Meq; leues somnos ducere posse uetat:
Cum pax regnat, abit somnus, noctesq;, diesq;,
Lusibus, & lepidis perdimus illecebris:
Cum rixas uero inserimus, ferit atria clamor
Horridus, & somnos aspera uerba fugant:
Mene aliquam tunc posse putas captare quietem,
Et dare sollicito membra leuanda toro?
Vna datur tantum in somnos medicina potentes;
Vis tua uis fugiat tempora somnus? ama:
Me miserum, Oceano similem quem sydera cœli
Fecere, & rapidis numina fluminibus:
Tu felix, quem nox uigilum spaciosa laborum
Opprimit expertem, quem sopor altus alit:
Martiriane animæ maior pars optime nostræ,
Cum tibi Dij dederint tot bona, pone caput:
Sunt tibi opes, sunt socraticis ornata tabellis
Pectora, sunt Phœbi carmina digna lyra:
Tu fratresq; tui patriæ tria lumina nostræ,
Spernite ne placidi munera magna dei:
Me sinite immitis iactatum turbine fati,
Noctes atq; dies ducere cum lacrimis.

DE

DE LEVCIA AD HIERONYMVM CORREGIVM.

Q VI nostros persaepe doles Hierony=
me casus,
Et male fers animi uulnera di=
ra mei:
Affer opem, mihi da dextram, suc=
curre labanti;
Me noua cura coquit, me ferus urit Amor:
Curae aliae in terris nullae nisi amoris amarae;
Solus perpetui est causa doloris Amor:
Claustra tenent arcesq; meam, turresq; puellam,
Nec licet egregio me semel ore frui:
Tu cui Dij dederunt claro cum sanguine mentem,
Ingenium, & culto quae libet ore loqui:
Dic mihi quã sit iter, quid sit mihi (consule) agendum,
Quo possim optatos uictor adire toros:
An dignam rem forte putas lusuq;, iocoq;,
Et rides, & me tu queq; flere uetas?
Scis tamen inuictum rapta Briseide Achillem
Fleuisse, & madidis ora rigasse genis:
Si mihi forte forent uires Hieronyme Achillis,
Parerentq; acies si mihi Mirmidonum;
Aspiceres aequata solo & disiecta per agros
Moenia dura, quibus Leucia clausa mea est:

Custodemq; arcis cæsum & sine nomine truncum,
Et multo Tyberim sanguine purpureum:
Ille senex olidus, tremulusq; in turribus altis
Detineat nostras spes, & inultus opes?
Nec sinat is dominam sacras accedere ad aras,
Nec sinat affines posse uidere suos?
Quin referunt non tam ferratis postibus olim
In turri Danaën detinuisse patrem:
Hinc lachrymis madefacta breuis modo littera fur-
Missa mihi est: perij, tu mea uita uale: (tim
Me uitam appellat, se iam peryisse fatetur,
Me; ualeat quod non ipsa, ualere iubet:
Scripsisset fors plura, metu ni dextra labasset,
Longius infelix scribere non ualuit:
Capta puella dolis tenebroso in carcere uiuat?
Ipse ego per campos ocia liber agam?
Me me hilarem tristi te Leucia nemo uidebit,
Semper ero sine te Leucia, lucis inops:
Verum tolle animos mea lux, iam desine segni
Turpiter in luctu degere & in lachrymis:
Audendum, tentanda uia est, qua dulcibus Argum
Possimus uigilem fallere sæpe dolis:
Ipse ego me in uarias conuertam uita figuras,
Auri forma mihi, uel mihi oloris erit:
Leden factus olor, Danaën mutatus in aurum
Iupiter è summo fertur adisse polo:
Scilicet hanc, ut auis tacitoq; citoq; uolatu,
Præteriens, nullo tramite uisus adit:

Aurum grande dedit Danaës Custodibus, auro
Et tacuere fores & tacuere canes:
Sic ego more Iouis, magnorum more deorum,
Tecum quo minime tempore reris ero:
Iam iam adero & pontes & propugnacula, et arcis
Ferrea turrigeræ limina transiliam:
Tu'q; fac ut uisat tua te carissima mater,
Quæ roget ut dulcem te sinat ire domum;
Aut referat caram sese male habere sororem
Optantem uultus posse uidere tuos:
Illi promittas horam non amplius unam
Abfore, ne longas te putet ire uias:
Diuertes ad me sola comitata parente,
Quæ penitus toto corde colenda mihi est:
O` quæ læta manent nos gaudia, quæ ue dabuntur
Oscula, cum longa blanda & anhela mora:
Ludendus sic semicaper, sic hircus adulter,
Fallendi tacitas uult Amor esse uias.

DE SVO NAVFRAGIO.

Ppulerat ualidam Numidarum ad litatora Classem
a Cæsar, & exposito milite lætus erat:
Cum nox terrificis tenebrosa superuenit alis,
Cum tonitru, & mistis turbine fulminibus:
Et subito uenti uerrunt mare, & æquora uoluunt,
Commotas'q; grauis uerberat unda rates:
Ipse Gubernator detorquens Auria clauum,
Non potuit leuibus tendere uela notis:
Spirabat tumidus Boreas, atq; impete uasto
Vrgebat raucas robora littoribus:
Nec læua, dextra'ue patens per littora, remis
Quem ualidis posset prendere, portus erat:
Ferre igitur fluctus & uentos cogitur, & quo
Tempestas dederat turbida, stare loco:
Tunc ego qui nolui demens non linquere puppim,
Cincta prius uallo quam noua castra forent:
Indolui, meipsum incusans, caros'q; sodales,
Assensere meo qui male consilio:
Iam magis atq; magis tumidum mare, fluctibus atris
Extollit dirum nubila ad alta caput:
Ictibus assiduis uentorum flamina Classem,
Crebra'q; de cœlo fulgura lapsa petunt:
Vnicuiq; labor primus fuit, undi'q; iacta

Anchora, aberrantem continuisse ratem:
Proxima cura, mari naues agitante, cauere
Confluctu peteret ne ratis ulla ratem:
Sed quid ad ingentes undarum hæc omnia montes?
Ventorumq; animos, atq; hyemis rabiem?
Multæ illa ualidæ perierunt nocte carinæ;
Vnaq; nox, clades non tamen una fuit:
In scopulos aliæ rapidis aquilonibus actæ,
Pressæ aliæ immensa mole fuere maris:
Hæc uento concussa ruit, quassa illa fatiscit,
Hæc rabido absorpta est uortice, & illa freto:
Verum ut uera canam, fuerit nox horrida quanuis,
Ipsa nocte sequens lux fuit horridior:
Nanq; suis stragem occuluit nox atra tenebris,
Ante oculos posuit cuncta uidenda dies:
Cuius in aduentu spem omnem quæ pauerat omnes
Misimus, exitio turba futura nouo:
Tam sese Boreas horrenda fronte ferebat,
Tamq; trucis facies aspera uisa maris:
Credo equidem nullis unquam spectacula terris
Tempestate alta sæua fuisse magis:
Apparent tabulæ, fractæq; per æquora puppes;
Hei mihi nunc horrent commeminisse comæ:
Spectantur toto dispersa cadauera ponto,
Armaq;, & Hesperius quas tulit orbis opes:
Aspicimus quantis maneant nos fata periclis,
Et prope quam nigræ brachia mortis erant:
Omnia quæ postquam manifesto in lumine uidi;

Inuasit gelidus pectora mœsta tremor:
Adde quod hoc etiam duræ sub mœnibus Vrbis
Tempore, cernere erat prælia dira geri:
Visus & in pugnam magnus succedere Cæsar
Ante alios niueo conspiciendus equo:
Toletoq;, Auilaq; suo comitatus, & acri
Farnesio, aduersam sternere barbariem:
Cumq; agili stans puppe procul uidisse putarem
Hac nostros, Nomades hac dare terga fugæ:
Exclamaui amens, heu nos terraq; mariq;
Quanto algore rigens enecat Algeria:
Ille tamen felix, qui martia uulnera passus,
Pugnando, ante oculos Cæsaris, ense cadit:
Felix ille magis, qui dans caua uulnera passim,
Pugnando ante oculos Cæsaris, ense furit:
Me miserum, quem non hoc uiuere fata, nec illo
In numero saltem posse dedere mori:
Hic una morior decies inglorius hora,
Fixus in horrenda membra retorta cruce:
Mox nulla cum laude cadam, uiuusq;, uidensq;,
Merger aquis, mersus, piscibus esca dabor:
Siue lupis terræ proiectus, siue leænis,
Seu quascunq; feras Africa terra parit:
Care pater, pater infelix, pater optime, luctus
Quos nati audito funere sæpe dabis?
Hoc equidem doleo mortis genus, at magis ipso
Quem tibi do, doleo care dolore pater:
Pone tamen tumulum, sed non sine carmine, inanem,

Carmine quod madido qui leget, ore legat:
Musarum & Phœbi iacet hic Franchinus alumnus;
Qui perijt libycis obrutus æquoribus:
Non hæc ulla colit pietas loca, nemo mouetur
Fletibus, ossa humili qui mea condat humo:
Hostili prætenta manu sunt omnia, late
Maurus atrox duri possidet arua soli:
Ah Frastore tuis quantum distare Camœnis
Me uideo, quantum candide Bembe tuis:
Non hic Vida mihi est, mihi non hic Zanchius, ornet
Qui mea pierijs funera carminibus:
Hic neq; Flaminius, neq; clarus nomine Molsa,
Flebilibus celebrent qui mea fata modis:
Quæ mecum gessi, mecum mea carmina perdent
Aequora, & inferni cuncta Acherontis erunt:
Tu succurre mihi, potis es, succurre cadenti
Magne Ioui, æternæ conditor historiæ:
Da dextrā, et dextra miserum precor eripe ab alto,
Fac uiuam inuitis uel phlegetontis aquis:
Verba loquor, sed quisnam ad amicas deferet aures?
Vos Cauri, qui me perditis, & Boreæ:
Vix hæc edideram, cum fluctibus obruta pinus
Pene erat, & clamor maximus exoritur:
Vota Deo ingeminans tota lacrimosa triremi,
Auxiliumq; & opem dum sibi quisq; uocat:
Ipse salo luctantem animam effudisse putaui,
Et penitus stygios me penetrasse lacus:
Emersit nauis tamen, & se reddidit auræ

Spumea; pulsat adhuc feruida corda pauor:
Iam caput ut Delphin demersum tollit ad auras;
Obruta tollebat sic caput illa suum:
Ast ubi non aliud; nisi fata extrema moramur;
Sumpsi animum, & nautis talia dicta dedi:
Ecquid erit Caspar tandem? moriemur inertes?
Nec quicquam audendum fortiter esse putas?
Fortunæ mandare tuos, tua'q; omnia; turpe est;
Fas est cum magno Marte mouere manum:
A spice quàm montes concurrant montibus altis;
Inter se fluctus quàm fera bella gerant:
Panda carina bibit laxis compagibus undas,
Anchora quæ reliqua est, uix tenet una ratem:
Nox ruit, & quantum Yas sit te credere nocti,
Scimus, sit'q; Poli quanta ruina uides:
Quod tibi sperandum nihil est, spes nulla salutis,
Nulla fugæ, præter quæ mihi sola subit:
Anchora soluatur, dentur caua lintea uento,
Quisq; sua capiat fortia tela manu:
In scopulos immissa ratis prius illidatur;
Quàm rapido pereat dilaniata mari:
Quod tacta tellure, ruet si Barbarus in nos,
Nos contra, & ferro fas aperire uiam est:
Sin aliter, mors clara uiris erit: ipse'q; Cæsar
Auxilium nobis aut dabit, aut lachrymas:
Assensere omnes, Boreas cum turbine magno
Perflat, & ingenti mole procella furit:
Abrupta'q; trabem superas et exit ad auras

Anchora, & immanes inpulit in scopulos:
Rostra abeunt per dorsa maris, tunc poplite flexo
Quisq; Deo rursus uota, precesq; damus:
Strident transtra, tumet uelum, ui clauus ahenus
Excutitur; puppis dat reuoluta latus:
Hic antemna ruit perfracto perditu malo,
Multorumque quatit pondere membra suo:
Franguntur tonsæ, spumis inuoluimur, omnes
Aestus agit, fluctus ærea prora secat:
Et cita littus adit magno concussa fragore,
Aggere arenoso cincta carina iacet:
Egredimur, colloq; tenus percurrimus æquor
Cum madida fluido corpore ueste graues:
Et strictis medios gladijs ad castra per hostes
Tendimus inuitis omnibus incolumes:
Hanc igitur Neptune tibi, quæ sola relicta est,
Do tunicam, Mauors, naufragus, arma tibi.

DVM CAROLVS V · RO IMP · ET FRANC · GALLORVM REX ADDIMICANDVM PRAELIO SE ACCINGVNT ·

GALLIA *cui paret, cui paret Bætica tellus,*
Iam conferre manum Marte furenta parant:
Tamq; animis & tam concurrunt fortibus armis;
Turbidus ut iam iam sanguine Sabis eat:
Et tamen amborum ceruicibus imminet hostis
Thracius, in pharetris acer, & acer equis:
Qui maius nil mente petit, nil uoce precatur;
Quàm semel ut pugnent hi duo Marte pari:
Sperat enim nostris confractis uiribus, omnem
Europam paruo posse labore premi:
Ne Reges, ne tantæ animis discordibus iræ,
Ne gerite hostili bella petita prece:
Illius in uires & pectora uertite ferrum,
Sternere qui telis ardet utrumq; suis:
Roma rogat, Paulusq; rogat, datq; arma, dat aurum
Paulus, & ad tantæ præmia laudis opem:
Tu Deus ex alto qui prospicis omnia cælo,
Quiq; uides maneat quanta ruina tuos;
Consule militibus, sacris & consule templis,
His ducibus prohibe bella cruenta geri:

Hi pietate graues, hi sunt duo lumina Pacis;
Hi duo sunt Belli fulmina magne pater:
Infer te medium, liquidis da nubibus imbres,
Fac rapidum tumidis flumen inundet aquis:
E castris, ambosq; iube discedere ab armis,
Coge domum armipotens alter & alter eat:
Seq; putet neuter uictum, sed iactet uterq;
Victorem populis se rediisse suis:
Annuit, & nostros miseratus sponte labores,
Prælia cœlesti sæua diremit ope:
Ex illo celebratus honos, atq; hostia maior
Cæsa Deo, & passim sunt data thura focis.

AD PHILIPPVM AVSTRIAM HISPANIARVM PRINCIPEM.

EXERCES *agili dum nuda Philippe palestra*
Brachia, qua liquidas uoluit Iberus aquas:
Telaq; dum teneris intorques dura lacertis,
Et domitas fortes puluerulentus equos:
Stridentiq; iuuat dum te certare sagitta,
Et cursu celeres uincere posse notos:
Ipse tuus genitor Cæsar uictricibus armis,
Gallorum in terris tertia bella gerit:
Inq; dies caput obiectat sublime periclis,
Vlla nec est uitæ parcere cura suæ:
Iamq; locum tutis iacto legit aggere castris,
Agmen agens equitum, flumina rauca subit:
Diruit oppositas Vrbes, fera prælia miscet,
Aduersasq; acies strenuus ense fugat:
Quin nisi sese undis auxisset Matrona, & altas
Ni rapidis ripas exuperasset aquis:
Vno forte die Gallorum fracta fuissent
Agmina, & euersas conspiceremus opes:
Acer enim Cæsar pontesq; ratesq; pararat
Ad uada militibus transilienda suis:
At fluuius casum aspiciens, cladémq; futuram;
Humida non paruum flumina numen habent:

Intumuit ſubito, & miſeratus fata ſuorum,
  Cæſarea obiectis ſigna repreſſit aquis:
Hinc amnem Rhodano et Ligeri, magnoq́; Garumnæ,
  Nunc merito præfert Gallus, & Oceano:
Ille ſuis tamen ut rebus diffidit, & armis
  Iam ſe Cæſareis non uidet eſſe parem:
Centum oratores mittit bis terq́; petendam
  Ad pacem & ſanctæ fœdera amicitiæ:
Qui bellum pulchra Cæſar pro laude capeſſit,
  Annuit, & pacis fœdera certa ferit:
Optimus hinc princeps uerbis ſolatur amicis,
  Ocia ament, nec ament aſpera bella monet:
Ergo alacres Regi pacem & mandata reportant,
  Rex cum uoce pias tollit ad aſtra manus:
At populi paſſim qui ſeſe uallibus imis
  Abdiderant, redeunt nocte, dieq́; domum:
Omnibus in templis grates perſoluere diuis
  Accelerant, ſanctis & dare thura focis:
Permiſtæq́; uiris matres, pueriq́; puellis;
  Dant pia ſacratis oſcula liminibus:
Inq́; uicem reduces gratantur, & undiq; nomen
  Cæſaris inuicti compita læta ſonant:
Et merito: ſeſe magnum monſtrarat in armis,
  Se mitem in uictos, in ſacra templa pium:
Vnde aſtris fama, & magnis ſe laudibus infert,
  Ipſis ſeq; Deis præbet honore parem:
Patre igitur tanto & magnis maioribus orte,
  Erige te, atq; animos Auſtria tolle tuos:

Et tibi sint artes belloq; & pace paternæ;
Ne ue exempla petas prisca, paterna petas:
Iulius, atq; alij peperit quos Romula tellus,
Gesserunt (fateor) fortia facta uiri:
Illa tamen legimus clarorum facta uirorum,
Cernimus hæc, moueant quæ tua corda magis:
Non opus est aliena sequi uestigia, patris
Si spectes terris, claraq; facta mari:
Ex patre uirtutem egregiam, uerumq; laborem,
Et Mauortis opus nobile, disce puer:
Aduenet tibi iam iam annis properantibus ætas
Firmior, & patrium sæpe subibis onus:
Multa parens post se tibi debellanda relinquit,
Omnia non pedibus subijcit arte pater:
Tu uero aggredere æternos generosus honores,
Aequa animos astris, imperium Oceano:
Nanq; suum ut Macedo potuit superare parentem,
Sic poteris patrem tu superare tuum:
Interea claris assuesce laboribus, & te
Mars bello erudiat, docta Minerua, togæ.

GAVDIO EXVLTAT.

AFFER io` calices, & io` puer adde falernum,
Vicimus, i, multa limina sparge rosa:
Nunc & io` Pæan, & io` bis terq; canendum;
Nunc replenda iocis omnibus ampla domus:
Dant mihi nãq; manus, qui me obsidione premebant,
Qui ferro irruerant, terga dedere fugæ:
Quiq; minas nuper iactabant uocibus altis,
Nunc humili pacis fœdera uoce rogant:
At nos, queis satis est uires fregisse furentum,
Et cinctum uiridi fronde tulisse caput:
Parcimus, & uitam uolumus cum crimine uiuant,
Vt q; magis doleant, inuideantq; magis:
Nam quid ego ullo unquam commisi tempore? nã quod
Non dignum gessi muncre laudis opus?
Vt tamen Octaui possent auertere mentem,
Seminaq; æterni spargere dissidij:
Non puduit gelidis me carpere ab usq; Sueuis,
Dum Romam fraudum nescius ipse colo:
Ille autem norat qui me & mea pectora, sese
Continet; & sanctum non maledicta mouent:
Rem tantum Romæ noscendam distulit, & uix
Attigerat patriæ mœnia celsa suæ:
Cum dignum me laude omni, carumq; propinquis
Omnibus, & gratum me bene sensit Auo:
Atq; ubi me fidum, & niueo candore nitentem,
Fallaces illos repperit, & rabidos:

Arguit

Arguit insidias hominum, me laudibus ornat,
Extollit cælo meq́; meamq́; fidem:
Hinc uictis animi cunctis cecidere minaces,
Quilibet & prono pectore serpsit humi:
Quisq́; supercilium posuit, non ullus ad auras
Est ausus superas tollere triste caput:
Quodq; mihi optandum nihil est magis, ecce fatentur
Coniurasse, nimis seq́, fuisse leues:
Mentiris, dixisse, parum est: sed cogere gentem
Quæ se mentiri proferat, eximium est:
Ergo lætitiæ Bacchus dator adsit, & omnes
Cum Musis Veneres; & lepidæ Charites:
Cantemusq́; fidem, rectum, sacra numina ueri,
Et uirtutis opes, & probitatis opus:
Insidiæ procul hinc absint; mendacia, fraudes,
Et qua quisq; miser rumpitur, inuidia:
Coniuratorum refero non nomina, laudi
Ne quis dum celebrem se uidet, esse putet:
Turba proterua quidem est, mollis, turpisq́;, leuisq́;,
Et uentri, & pigræ dedita desidiæ:
Vtq́; dolis in me tacitis fera bella mouebant;
Hos uolo, sic tacito nomine terra tegat:
I, puer, i, nostri caput, autoremq́; triumphi
Maffeum larga Tyndare uoce uoca:
Corregiumq́; uoca, qui nos nostrasq́; tuendas
Defendit partes & tulit acer opem:
Dandinumq́, Vitellumq;, et Fragipanem, Heliumq́;,
Vrsinum, & qui me Sfortia fortis amat:

Ad mea dic ueniant conuiuia plena leporum,
Plena ioci, aonia concelebranda lyra:
Indulgere libet genio, atq; indicere amicis
Certamen uini mite salutiferis:
Iam cyathis octo est Octauius ipse bibendus,
Qui Dominus, qui Rex, qui mihi numen erit:
Hostibus effusis postquam Victoria parta est,
Lætandum, & grata luce madere licet.

DE LEONARDI BOCCACCII TRIVMPHO.

ANNONAE *præfectus erat* Boccaccius, *& cum*
Torperet tristi pallida Roma *fame:*
Nescio quot ciceris modios, uilis'q; phaseli
Attulit e Thuscis prouidus aut hor agris:
Vtq; rates siculis populo ostentaret ab oris
Aduenisse graues frugibus innumeras:
Sese conspicuum fecit, sua facta loquaci
Ridiculus uulgo suspicienda dedit:
Perduxit celebrum Capitolia ad alta triumphum;
Tanquam deuictis Thracibus, aut Numidis:
Infusum populum conspeximus, omnia læta
Vidimus, & placidis omnia plena iocis:
Ibant ante equites cerealia liba ferentes,
Ibat ouans cornu Copia larga suo:
Post, pedites tortis onerati colla placentis,
Pistorum'q; alto furfure flaua cohors:
In medio Præfectus erat trabeatus, eburna
Sceptra tenens, niueo conspiciendus equo:
Agricolis multis comitatus, & ordine longo
Carrorum, spicis tempora cinctus erat:
Cum Dea quæ summo spectarat ab usq; Peloro
Cuncta Ceres, tristis talia dicta dedit:
Illa ego quæ semper diues tua magna replebam
Horrea muneribus regia Roma meis;

Nunc egeo, uanis tellus me lusit aristis,
Quamq; dabam, nequeo nunc dare messis opem:
Consule Roma tibi, uacuo ne crede triumpho;
Iam tibi prædico Martia turba famem:
Ni cito largus opum succurrat Iulius, actum est;
Et rapient celeres irrita uota noti:
Vanum hominem, uentosum hominẽ disperdite, ludos
Qui facit, & gestis qui male rebus ouat.

DE SVO AB VRBE DISCESSV.

LAETVS eram, et blandi captabam munera Amoris,
Et mihi delicias Roma superba dabat:
Cum duce Ranuto Romana Palatia cogor,
Et dominæ amplexus deseruisse meæ:
Perq; niues, perq; aspra gelu iuga currere cano,
Et permutatis subdere calcar equis:
Causa potens iuuenem mouit, nanq; illius aures
Nuncius attonitas perculit horribilis:
Fratrem uno & fratris grauiter languere maritam
Tempore, & occultum uirus utriq; datum:
Surgit, & arreptis nocturno tempore loris,
Iam conscendit equum, iam celeramus iter:
Deseritur Tyberis, Nar lynquitur, arua uoramus,
Clitumnus placidis quæ rigat albus aquis:
Per Tiniam ferimur, conscendimus Apenninum;
Luceolos cursu uincere cura fuit:
Raditur hinc præceps saxosi ripa Metauri,
Tenditur ad ripas flaue Pisaure tuas:
Tranantur Rubiconis aquæ: fora per uia Liui,
Et fora Corneli post cita terga damus:
Ad uada prouehimur stagnantis lubrica Rheni,
Cœnosum Mutinæ uix superamus iter:
Vrbeq; præterita Lepidi de nomine, tandem
Te petimus dura Martia Parma uia:

Afferimur, passim'q; tulit quæ se obuia fratrem
Coniuge cum cara uiuere turba refert:
Vim'q; omnem sæui sumpto cecidisse ueneni
Antidoto, & uana toxica mista manu:
Hei mihi cui liceat tantum scelus, addere crimen
Criminibus, nullos esse putare Deos:
Non satis est spoliare sacris delubra deorum,
Cura sed iniecta est illa cremare face?
Ingredimur, Parmam'q; foro plaudente subimus,
Et caro dextras iungimus hospitio:
Illo forte die fratri accessura cubanti
Febris erat, uiso frigida fratre fugit:
Quis tenuit lacrimas spectando mutua fratrum
Gaudia, & amplexus, & sine uoce sonos?
Tota domus reboat lætanti plena tumultu,
Ranuti aduentum concaua tecta sonant:
Lætitia ante alios exultat filia magni
Cæsaris, attollens uix male sana caput:
Fratris ope allata, certam secura salutem
Sperat adesse uiro, sperat adesse sibi:
Verum hilari qua fronte solet Ranutus utrunq;
Ne timeant, animis fortibus esse iubet:
Quicquid opis medicæ, quicquid res postulat artis,
Expedit, & summa cum pietate calet:
Vtq; ambos seruent longæ per tempora uitæ
Incolumes, diuum numina magna rogat:
Eia agite illustres animæ dignæ altius almum
Casibus humanis exeruisse caput:

Viuite, præstantes'q; animos, uires'q; ualentes
Sumite, uos'q; altis tollite uerticibus:
Tu'q; prior, tu surge toro fortissima coniux,
Ipse tuus te uir sospite, sospes erit:
Tunc natus tremulo dulcissimus atria risu
Complebit'q; suis mollibus ampla iocis:
Nunc mæret, queritur, subtristis obambulat, et flet;
Ne scit cur lacrimas fundat ab ore puer:
Hinc ego lætitia sublatus ad æthera pangam
Carmina, non uobis, non male grata Deis:
Tu uero quid flamma facis mea? fallis amantem
Læta dolis? nostri cura nec ulla subit?
An promissa fides manet incorrupta? sacram'q;
Casta pudicitiam seruat Himera domus?
Sta rogo promissis, adero, fera bella mouentur,
Quæ mihi sunt celeri diffugienda pede:
Et tecum & Romæ certum est mihi uiuere Himera,
In'q; tuo uitæ soluere fila sinu.

AD HIERONYMAM VRSINAM FARNESIAM.

FARNESII generis mater clarissima natis
Quattuor, Vrsinæ gloria magna domus:
Corpora adhuc tua languor habet? duroq; cubili
Obsita, adhuc nobis tristibus ægra iaces?
Surge, age, tolle caput, gnatorum ingentia facta
Aspice, & audaces ad fera bella manus:
Natorum in magnis matrem languere triumphis,
Non decet, & tristi fronte uidere suos:
Nunc tibi pro natis uictoribus optima mater
Sunt soluenda pio debita uota Ioui:
Non iam lætitia in tanta, ludus'q; ferendum,
Dent ipsi pro te uota, preces'q; Deis:
Surge, salutantum placido turbam excipe uultu,
Gratantum'q; hilari suscipe uoce choros:
Lætantes ad te uenient matres'q;, uiri'q;;
Optabunt natos, & sibi quis'q; tuos:
Iam te felicem, fortunatam'q; uocabunt,
Laudibus ante alias te super astra ferent:
Ex utero prodisse tuo duo lumina pacis,
Fulmina tum belli prosiluisse duo:
Præsidia Italiæ noua te, & decora alta dedisse,
Romanas'q; omnes exuperasse nurus:
Primus Alexander, duce quo res gesta, tetendit
Immortale feros nomen ad us'q; Getas:

Ausus in exiguam per inhospita saxa, per æstus,
Se fratresq; suos imposuisse ratem:
Immitesq; notos, fluctusq; atrasq; procellas,
Tempsit, & inuito tuta aquilone tenet:
Reppulit aduersis hostes Octauius armis,
Et Tarri liquidas sanguine tinxit aquas:
Strenuus obiecta contra tela omnia Parma,
Non ictus, ullas non timet ille minas:
Purpurea insignis Ranutus ueste, deorum
Consilio, terris missus ab arce Iouis;
Non studijs tantum inuigilat, sed rebus agendis,
Romanoq; sedens principe digna facit:
Natorum postremus Horatius, acer in armis
Ardet, & iniecta cuspide bella ciet:
Ora puer nulla signans lanugine, fregit
Sæpius hostiles Marte fauente manus:
Magnis digna atauis omnes gessere, geruntq;
Tempora quæ nostra hæc, quæq; futura canant:
Clari armis, clariq; toga, famamq; decusq;,
Iam peperere sibi, iam peperere suis:
Inuictiq; omnes, Romanæ robora gentis,
Terrorem infensis hostibus ingeminant:
Iam tibi Gracchorum mater Cornelia cedat,
Et Regum Tanaquil ingeniosa parens:
Et mater cedat tibi Liuia magna Neronum,
Constantumq; parens Fausta superba tibi:
Tu felix es prole magis, tu fortior, & tu
Clarior ob sobolis tot benefacta tuæ:

Nata tibi est etiam magnæ Victoria laudi,
Filia non matris laudibus inferior:
Terrarum Regina, rigat quas unda Metauri,
Quasq́; rigat flauis usq; Pisaurus aquis:
Adde duas tibi adesse nurus, quarum altera magno
Cæsare, ab Henrico est altera nata patre:
Teq́; colunt, dominamq́; uocant, matremq́;, socrumq́;,
Et mentis celebrant aurea templa tuæ:
Curandis etenim in rebus, populisq́; regendis,
Seruandaq́; sacra lege pudicitiæ;
Par tibi non ulla est, nulla est Hieronima, toto
Terrarum quæ se comparet Orbe tibi:
Tu licet illustri sis edita sanguine, pulchra
Virtute illustras tu genus omne tuum:
Quid referam cum bella ferus Mars sæua pararet
Impius, & castris barbarus ingrueret:
Intrepido infestos quàm tu contempseris hostes
Pectore, & armato milite reppuleris:
Nicolei merito neptis, qui res male lapsas
Italiæ, inuicto pectore restituit:
Nec mirum tam magnanimos fortesq́;, ferosq́;
Si genitos mater tam generosa parit:
Viue igitur, gratare tuis Hieronyma natis,
Gratari natos da tibi posse tuos:
Non tua dum cano uelantur tempora crine,
Non tibi dum faciem ruga senilis arat:
Sospes eris, iam sume animos, ad culmina rerum
Te maiora uocant numina magna deum:

Te natosq́;, noui summa cum laude triumphi,
Fataq́; felices nos meliora manent.

A D   H I M E R A M.

N V P S I S T I *tandem, mentisq́; expleta libido est*
Dira tuæ, & Mosco candida Himera data es:
Nec mea crudelis (pro Dy) suspiria curas;
Nec lacrimas madidis quas damus usq; genis:
Iuraras me uelle loco fratrisq́; uiriq́;,
Nec si te peteret nubere uelle Ioui:
Hæc promissa fides? hæc nostri fœdera lecti?
Siccine credenti tot bona dicta dabas?
Ah iuuet a cara discedere protinus Vrbe,
Et te Tybri pater deseruisse iuuet:
Hic maneat Moscus, quem diligit improba Himera,
Cuiq́; suum fallax ornat Himera caput:
Quid mihi cum septem pulchræ nunc collibus Vrbis?
Quid mihi cum muris Romule magne tuis?
Scilicet ut spectem uiridanti limina mirto,
Sparsaq́; odoratis tecta superba rosis?
Et uideam in niuea quàm sit pallaue rubenti,
Quam'ue coronatis conspicienda comis?
Non animus nobis tantum spectare dolorem,
Et perferre noui parta trophæa uiri:
Ibo ego per saltus, per inhospita littora ponti,
Lustraq́;, & inculti uasta per antra soli:
Hic & facta querar tristis tua, & alloquar auras
Solus, & ut pœnas des mihi, nomi dabo:

Non tamen ut fias deformis Himera rogabo,
Vtq; artus macies occupet atra tuos:
Te nec ut inuadat pallentem turpis egestas,
Vtq; tuas rapidus deuoret ignis opes:
Sed desiderium ut nostri te tangat Amoris,
Vt subeant animo basia nostra tuo:
Displiceant'q; tibi mores & facta mariti,
Nec possis olidi tædia ferre capri:
Diua Erycina damus cui mascula thura tot annos,
Quæ facili uotis annuis aure meis:
Igne uides quanto me perfida Himera perurat,
Quo foueat Moscum mollis amore suum:
Tu nos alma tuo uinxisti rete receptos:
Atq; erat in laqueis lætus uterq; tuis:
Vincla illæsa mihi tua sunt Dea magna Cytheris,
Fœdera cum uinclis rupit & illa fidem:
Fac Dea quæ nunc his inita est concordia, qui nunc
Mutuus est, paruo tempore duret Amor:
Fac odijs certent, serere lites, iurgia necte,
Illam non uir amet, non amet illa uirum:
Tunc ego uictor ero, tunc nostri cura subibit,
Meq; erit huic ingens deseruisse dolor:
Quod si etiam perges miserum me prorsus Himera
Despicere, & Moscus iam tibi carus erit:
Quo tendam mihi monstrat iter Pelopeius Orestes,
Exemplum a' magno sumere Oreste licet:
Hermionen toto quam pectore amabat Orestes,
Vxorem duxit Pyrrhus Achilleides:

Impatiens iræ Pelopeïus, arma capessit,
Et Pyrrhum abducta perdidit Hermione:
Si nec amare uelis, nec Himera immitis amari,
Aggrediar Moschi fortiter ense latus:
Sed potius placido iuncti flagremus amore,
Qui rogo non obitus desinat ante meos:
Ipsa Venus, thalamo Vulcani sæpe relicto,
Ibat ad Anchisæ nocte silente thorum:
Tithoni amplexu depulso Aurora, petebat
Aeolidæ Cæphali brachia lenta sui:
Tu quoq; de ueteri magnarum more Dearum,
Curre, age, in amplexus dulcis Himera meos.

FRANCISCI FRANCHINI COSENTINI EPIGRAMMATUM LIBER PRIMUS.

AD LEUCIAM.

QVO magis insidias placidi uitamus Amoris,
Hoc magis insidijs nos petit acer Amor:
Ille tuis latitet cum Leucia blandus ocellis,
In me mille iacit spicula, mille faces:
Ah uicit; laetorq; dolis delusus opertis;
Magna tua est facti gloria, nulla dei.

DE INTERITU PHILOMELAE AVICULAE.

Dum raptos queritur foetus Philomela sub alta
Arbore, & omne nemus garrula uoce replet:
Saxum immane manu pastor capit, inq; uolucrem
Conijcit; illa graui uulnere uicta cadit:
Et moriens, genti pietas nulla inquit agresti,
Gente nec agresti saeuior ulla fera est:
Qui pro carminibus dulces mihi reddere natos
Debuerat, leto me ferus ille dedit.

AD LEVCIAM.

Floribus intextam uarijs tibi mitto corollam,
Quos auida legi picta per arua manu:
Sunt nigræ uiolæ, sunt lilia candida, sunt &
Purpureæ gelido non sine rore rosæ:
Sperne tamen cũcta hæc mea Leucia; sc inde coronã,
Lilia tu terris, tu rosa, tu uiola es.

DE LVCRETIA *Imperiæ Filia.*

Edita præclaro Lucretia sanguine, quondam
Vi temerata, sua concidit usa manu:
Altera nunc humili, turpiq; exorta parente,
Vt mœchum fugeret, tetra uenena bibit:
Casta est utra magis? rapto cadit illa pudore,
Seruato hæc statuit malle pudore mori.

EPIT. LEONIS X.

PONT. MAX.

Magne LEO tecum hac una conduntur in urna,
Et Musæ, & Charites, & decora, & tituli:
Virtutumq; etiam cunctarum, & copia rerum,
Muneraq;, & laudum præmia, spesq; hominum:
Inuida nanq; patrem postquam te fata tulerunt,
Deterior tantas non habet Orbis opes.

DE AMORE AD IANVM VITALEM.

Me iaculis pete, me flammis, me Iane sagittis,
Et me praecipitem mitte, uel in pelagus:
Ante suo quàm saeuus Amor me uulneret arcu,
Illo Iane nihil saeuius esse potest.

IN ANCVM.

Improbus & fallax, & perfidus Ancus, anhela
Oppressus tussi, tussis & impatiens:
Vota facit, manibusq; rogat pia numina passis,
Desinat ut tussis, cesset ut expuere:
Audiuere Dei, cessit tussis, ut una
Cum tussi infelix expuit atram animam.

EPIT. STVRNI.

Sturnus ego haud ulli uolucrum uirtute secundus,
Conditus hic domini munere, uera loquor:
Ridiculus me mus (dictu quod turpe) peremit,
Impuleram toties quem dare terga fugae:
Sed somni, noctisq; dolis decepit opacae;
Quorum fraude, etiam regna superba cadunt.

DE VRBE VITERBIO IN LAVDEM AEGIDII CARDIN.

Quae scatet irriguis sacris'q; uberrima lymphis,
Ante alios, fontes Vrbs habet una duos:
Alter aquae, eloquij est puri dulcissimus alter
Aegidius, quo non ullus it uberior:
Vrbs igitur cunctis prodest mortalibus; ille
Fons hominum reficit corpora, & hic animos.

IN PONTICVM Sacerdotem.

Horremus dum sacra facis cur Pontice dixti?
Qui rite oremus dicere debueras:
Non regnabat hyems, aderant non arma, nec ullae
Horrorem incuterent quae tibi forte, ferae:
Qui'q; aderant; omnes intenti corda tenebant,
Orantes'q; arae thura, preces'q; dabant:
De te ais horremus: scelerum qui conscius, horres
Aeternum immensi numen adire Dei.

DE RHODO CAPTA AD MARCELLVM PALONIVM.

Amissam Marcelle Rhodon quis nuncius affert
Horribilis? praeda est barbara clara Rhodos?
Pro Superi; quos heu dumos & surgere sentes
Aspicio? quae nos aspera fata manent?

A

DE LEVCIA.

Pulchra manus Hebe, Iuno ulnas, Cynthia ocellos,
Ora Venus, pectus uertice nata Iouis;
Vt faciem uidere meæ, formamq́; puellæ,
Qua non in terris altera pulchra magis:
Hebe optat digitos, pectus sibi Pallas, ocellos
Cynthia, Iuno ulnas, illius ora Venus.

IN STATVAM VENERIS.

Vnde decus tantum saxo? quisnam indidit ipsam
Saxo animam? e cœlo quis tulit huc Venerem?
Praxitelis fecere manus: illustris olympus
Ater erit, terras si colet alma Venus.

ALIVD.

Egregiam pulchræ Veneris formam aspice; dicas:
Laudo equidem sani iudicium Paridis.

ALIVD.

Marmoreā aspiciens Venerem Venus; et tamen ausæ
Sunt certamen (ait) mecum inysse duæ.

ALIVD.

Te Venus ut Iuno, & Pallas uidere, querentes
De Paride, exclamant: immerito querimur.

DE ZEVXI ET PARRHASIO.

Arte potens Zeuxis, depictas protulit uuas,
  Et depicta uafer lintea Parrhasius:
Carpendis uolucres se se effudere racemis,
  Picta uidens Zeuxis lintea, uera putat:
Quis nescit doctae maneat quem gloria dextrae?
  Parrhasium; hic homines, ille fefellit aues.

DE SE IPSO.

Me sine Romulides Nymphae duxere choreas,
  Nam nescire choros ducere fassus eram:
Sed qui non duxi choreas, suspiria duxi,
  Et quem non duxit tibia, duxit amor.

IN ZELOTYPVM.

Arge tuam seruas centeno lumine uaccam;
  Dispeream, si tot lumina, lumen habent.

DE LEVCIA AD ANNIBALEM CARVM.

Me bene nolle meae iuratum Care puellae,
  Extinctasq; mei pectoris esse faces:
I licet haec acri pallet concussa dolore,
  Et stupet, & largis fletibus ora rigat:

Improbe Amor, dextra ardebã quã perdere, perdit
Me fletu & lachrymis illa repente suis:
Flenti ego dum lachrymas abstergo, atq; oscula figo;
Illius in gremio decidi, & interij.

DE AMORIBVS PIERII VALERIANI.

Hunc Amor & Venus, ut lepidum legere libellum,
Sic puero mater rettulit alma suo:
Nemo unquam melius nostros celebrauit honores,
Te dictasse reor carmina Pierio:
Cui puer: haec potuit quisnam dictare poëtae;
Ni Venus, haec cum sint omnia cum Venere?

DE ANT. TELEMIO AD HIERONYMVM VIDAM.

Quandam Telemius describit Vida lucernam;
Vt reor, ipse sibi scripsit, & in tenebris:
Nam dum saepe lego & relego, lustroq; lucernam;
Non equidem uideo; luce lucerna caret.

AD LYGDAMVM
Portia loquitur.

Quod redolent blandi per prata uirentia flores,
Sedula quos tenui murmure libat apis:

Hoc duo quæ tantum rapui tibi basia nuper
Spirauere meæ Lygdame flos animæ:
Quin si rura petas florentia, squallida rura
Cernere erit; nec erit floribus ullus honos:
Et dicent Narcissus, & ipse dolens Hyacinthus
Abne Dij florem Lygdame te faciant.

EPIT. FERDINANDI AVALI PISCARIAE PRINCIPIS

Ille ego collatis fregi qui sæpius armis
Aualus hostiles auspice Marte manus:
Quiq; duos uno cepi certamine Reges,
Quiq; feris terror gentibus unus eram:
Hic iaceo, post me coniux Victoria restat;
Quam mors nulla potest uincere, nulla dies.

AD LEVCIAM.

Quod dederim tibi cana hyeme uiolasq;, rosasq;,
Res noua, res mira est Leucia uisa tibi:
Desine mirari; latio uiolæq; rosæq;
Sæuæ etiam brumæ tempore prouenimunt;
Res noua, res mira est hac tempestate, uirescant
Quod tot in ore tuo lilia mista rosis.

IN CAIVM CAVSIDICVM.

V ulgus ait Caium magni sibi ponderis aurum
Condere, quod causas ore disertus agat:
V ana refert, nā mente rudis, nam barbarus ore est;
Et meret hac sæuam perfidus arte crucem:
I nscia plebs à me tantum qua congerat aurum
Causidicus, qua tot, disce, parentur opes:
D um male Rhetor agit causas, & iurgia iactat;
Rhetoris uxorem diues adulter init.

EPITAPHIVM IANI MEDICES.

P ostquam res Italas Superis euertere uisum est,
Nostraq; barbarico subdere colla iugo:
T ollere decreuerunt Medicen, qui Martis in armis
Noster in aduersos inclytus Hector erat:
H inc pater omnipotens correpto fulmine, magnum
Cum magno Medicen turbine fudit humi:
C edendum est igitur; sic diuum numina mandant;
Iam tua quisquis eris barbare præda sumus.

AD GYRENEM.

O rnatas auro geris aures blanda Gyrene,
Pulchrior ante alias ut uideare procis:

Improba blandicijs præstas, auro allicis aurum;
Et componis opes artibus auriferis:
At nostrum elicias ne uoce & in auribus aurum;
Auribus obducam ærea claustra meis.

DE DECIO ET ASCANIO RIVALLIBVS.

Pergratum dominæ Decium cum ferre nequiret
Ascanius, ferro perdere constituit:
Inq; latus Decij rigidum cum stringeret ensem,
Substitit; & secum sic miserandus ait:
Hunc ego si perdam; extemplo se Syluia perdet;
Syluia ego extincta, uiuere non potero:
Ergo sit potior Decius, dominaq; fruatur;
Ne pereant uno uulnere tres animæ.

DE ROMA CAPTA AD IOANNEM ANT. PANTHVSAM.

Venit summa dies, totus qua corruat Orbis;
Orbis Roma caput diruta Iane iacet.

DE MARIO IN GEMMA INCISO, NVPER IN RVINIS REPERTO.

Quem capere haud potuit terrarum maximus orbis,
Tam parua hæc magnum gemma capit Marium;

M irabar, Marium non defendisse cadentem
Ausoniam, & patriae moenia quassa suae:
N ec quod rursus erat notam uir carcere clausus,
Quodq; magis duro marmore cinctus erat:
F ortunate lapis, Marium cui fata dederunt,
Quem neq; dant Romae, dura, nec Italiae.

PRO NOLANIS.

N ola domus Phoebi, sedes gratissima Musis,
Perpetuum sacris uatibus hospitium;
V irgilio dulces riuos concessit aquarum,
Pontani statuam uatis in arce colit:
V rbs celebris dicta es uano non nomine Nola,
Nolueris stultis quod patuisse uiris:
I circo irriguos segis est tua laeta per agros,
Et longe ante alias ora beata tua est:
S is felix, merito portas cum clauseris illi,
Cui rogo terra suas claudat & astra suas.

DE MATRONIS NEAPOLITANIS IN MARI SVBMERSIS AD LAVRENTIVM GAMBARAM.

P arthenope obsessa matronae Gambara centum
Abrepta patriam deseruere rate:
N eptuni rabie tamen & Iunonis iniquae
In pelagi salsis occubuere uadis:

P *rob facinus, cum sæua hominum fugere arma parã-*
Quis putet? offendunt numina sæua magis. (rẽt,

DE CONSALVO SANGRO ADOLESCENTE NEAPOLITANO.

T *elemacho laudem egregiam tribuere, quod æquor*
Puppe secans structas fugerit insidias:
Q *uæ Sangro dabitur laus digna, norasse per undas*
Tutum iter inuitis hostibus innumeris?
I *lle pylon petijt quærens patrem, hic ut amicos*
Liberet, intrepidus nauit ad Hesperiam:
A *dde: suos Sangrus quod carcere soluit amicos;*
Nil claro nouit de patre Telemachus.

AD LEVCIAM.

L *eucia scis quoties fuerint mihi prælia tecum,*
Pax quoties, & quàm nos agitarit Amor:
S *æpe fui uictor, sum uictus sæpe; dedisti*
Et mihi sæpe manus, & tibi sæpe dedi:
V *erum posthabitis cum me delegeris unum*
Omnibus; æternum tu mihi numen eris.

DE OBSIDIONE LAVDIS POMPEIAE AD POSTHVMVM.

B *arbarus obsedit Pompeiam milite Laudem;*
Expugnare tamen Posthume non potuit:

B arbara gens igitur parta non laude, reuertit
Ad ſua cum magno limina dedecore:

DE INVNDATIONE TYBERIS.

A uctis traxit aquis multas ſecum Albula moles,
Vrſinas potuit tangere, non trahere.

IOCATVR IN BRITONIVM

R uſtica qui cecinit uitula donatur, & hirco,
Q ui tragica, & tauro, qui cecinit ſegetes:
D ebita Britonio dabitis quae munera Reges,
Q ui rapidas multo carmine dixit aquas?
C um ſit aquae numen Neptunus, equumq; repertor;
Britonio ardentem par date munus equum.

DE MORTE EVSEBII.

C ondiderat celſas ſtudijs ardentibus aedes
Tybridis ad ripam ſedulus Euſebius:
C um tumidus rapida creuit ui Tybris, & illas
Diruit, inq; illis obruit Euſebium:
I nfelix; celerat dulcis dum commoda uitae,
Ab ſenſit tumulum ſe celeraſſe ſuum.

IN COLLIVM.

QVIS, proh deum & mortalium fidem, quis hæc
Cum uisa sint, tacere possit & pati,
Nec inuehatur per theatra, per fora,
Mineturue enses horridi necem licet?
Romanus ille Cardinalis Collius,
Ille olidus, hermosus ille, ille belluo,
Draucus'q;, fic{o}sus'q; & immundissimus,
Quicunq; diruere Romuli domum,
Ipsamq; nuper Vrbem, Iberos ut puta,
Vt & Gothos, & Teutones; spurcissimus
Omnes ad unum quàm antea benignius
Salutat, amplexatur, inuitat, fouet,
Auget'q; honoribus, & domum admittit suam,
A quibus huic direpta sunt bona omnia,
Omnes'q; quot sunt coniuges colleiæ;
Viduæ'q, uirgines'q;, uallatæ undiq;
Fuere media in Vrbe, in urbe patria,
Vallo'q; fossa'q; & superiecto aggere.
Romulus Asylum in colle condidit ferox,
Quàm posset, ut suam ampliaret patriam;
Hic uero Asylum condidit, sane suam
Vt patriam perdat homo perditissimus;
In colle nunc enim est Asylum, confugit
Quo barbarorum turba, nec licet abstrahi:
Et uos Quirites fertis hæc? & non datis
Præcipitem in undas Tybridis nequissimum?

An cæcitas uos occupat, nec cernitis
Hæc omnia, hæc quæ passim aguntur, & palam?
Quin accidit quod peius, ipsi Teutones
Et gloriantur, & iocantur inuicem,
Ridentq; in uno Romuli reliquum genus.
Sed quæso ne propterea ad astra tollite
Vos laudibus, ridete nec Italos Gothi;
Quis hæc agat nisi impudens & improbus?
Hoc homine non in Vrbe, non in Orbe homo est,
Improbior, impudentior, scelestior.

EPIT. AVFIDII NEAPOLITANI.

Dum pulchram cupit Aufidius uiolare Neæram,
Per funem tentat nocte subire domum:
Dumq; audax altæ scandit fastigia turris,
Vertice de summo concidit, & periit:
Membra pater dum fracta legit, sic ille meretur,
Qui duce sub cæco militat, orbus ait.

IN MALVM PICTOREM.

Ponere conueniat qua sede Menandre requiris,
Deucaliona tuum, qua Phaëthonta tuum:
Flagranti Phaëthonta loco male pictor in igne,
Vt decet, in liquido Deucaliona mari.

DE LEVCIA.

I ane coronatae uenere ad templa Calendis
Et mea, & Aemilij cara puella tuis:
T abuit extemplo quam fronte corona gerebat
Naenia, turpis erat cui coma, turpe caput:
Q ua uero cinxit sua tempora pulchrior auro
Leucia, uisa fuit flore uirere nouo:
L eucia tu uiridi iucunda corona coronae es,
Hinc uigor usq; tuis perstat honosq; rosis.

IN GAVRVM GRAMMATICVM.

T res nati sunt Gaure tibi; mas, foemina, neutrum,
Gratulor; est soboles congrua Grammaticis.

IN NATALEM FERDINANDI AVALI ALFONSI FILII PISCARIAE PRINCIPIS.

A enaria ingenti pressus, fessusq; Typhoeus;
Sperabat miserum posse leuare caput:
C um puerum Martis prognatum in uertice sensit,
Et sua maiori tempora mole premi:
Q uare ait eructans suspiria tristia; tanti
Auale parue puer ponderis esse potes?

Se iactare

S *e iactare suo Lemnos iam cesset alumno,*
Te'q; tuo Delos desine, Creta tuo:
V *ix illi longa potuere ætate Gigantes*
Comprimere; a cunis hic mea colla premit.

VMBRA CARDVELIS MORTVAE LEVCIAM DOMINAM
alloquitur.

I NSANO *quis erit modus dolori?*
Q *ua dic luce (rogo) comis, genis'q;*
P *arces (me miseram) & tuis ocellis?*
N *e te Leucia maceres, meum'q;*
N *e quæso doleas fleas'q; lethum.*
En illa, illa ego Carduelis olim
T *uæ deliciæ, tui lepores,*
Q *uæ dulcedine carminis solebam*
S *pinosas animi leuare curas;*
N *on noctem patior, mihi nec unquam*
I *ntorquet calidas Megæra plagas;*
S *ed læta Elysium nemus pererro,*
P *er'q; oram uagor usq; amœniorem;*
E *t quales numeros tibi canebam,*
T *ales tegmine sub uirentis ulmi*
S *edens integro, leniens benignas*
F *elices'q; animas beatiorum*
L *esbiæ, Nemesis'q; Cynthiæ'q;*
C *orinnæ, Euridices'q;, Deliæ'q;:*

Quid me uexat, & angit, impeditq́;,
Ne ſim ne uocer undecunq́; felix?
Luctus uirgo tui, tui dolores,
Quos tu concipis è meo ſepulchro;
Ah ne læde meos puella manes;
Nanq; eſt lædere dum iuuare credis.
Ergo ſi placidam cupis quietem
Tuæ Leucia bella Carduelis,
Nec uis me male per cæcas tenebras
Huc durum per iter redire rurſus;
Plorare obſecro deſinas ademptam.
Cum longæua domos petes beatas,
Ero perpetuò tibi lepori,
Tibi à delicijs ero, Iocisq́;.

DE CASV ALEX. FARNESII CARD. IN TYBERIM QVI POSTEA PONTIFICATVM ADEPTVS EST.

FARNESIVS prona fertur dum Tybridis unda,
Incidit in ſcopulum non bene cauta ratis:
Atq; inuerſa, uirum ſecura in puppe ſedentem
In liquidas rapidi proijcit amnis aquas:
Extemplo caſum ſenſit Tyberinus, opemq́;
Conanti ſe ſe tollere ab amne, tulit:
Et dixit; non fas, ratis ut male deuehat illum,
Cui Roma, & merito eſt ſancta regenda ratis.

ALIVD.

Magnus ut in rapidum cecidit Farnesius amnem;
Ad rerum ascendet culmina, Tybris ait.

DE LYSAE GEMMA DONO DATA ALOISIO GONSAGAE.

Hæc ego crediderim formosæ lumina Lysæ?
An uulgo artificis munere facta putem?
Tam similes oculis oculi sunt illius istis,
Quam nitidis cœli sydera syderibus:
Sic fulgere mihi, sic arridere uidentur,
Talis inest illis gratia, tantus honos:
Ah fallor: sic immo ardent, sic torua tuentur;
Tantus in his rigor est, tale supercilium:
Hi dominæ sunt ueri oculi, nil uerius ipsis;
Ipsi adeo nec flent, me neq; flere uident:
Quàm bene de lapide hæc misit mihi lumina, cũ sint
Lumina, & ipsa mihi dura magis lapide.

ALIVD.

Non aliter Perseus, postquam abscidit ora Medusæ,
Maior, & in lato clarior orbe fuit:
Quàm tu nunc Gonsaga, geris qui lumina Lysæ,
Quæ pulchra est ipsa Gorgone pulchra magis:

Q uin plus laudis habes, somno nanq; ille sepultæ
Abstulit auxilio Palladis ense caput:
H æc uirtute tua, & præstanti pectore capta,
Me'q; meos'q; oculos tu tibi dixit habe.

DE LEVCIA.

N ox erat, et mihi cũ domina prope Tybridis undas
Rixa erat, & terris lumina Luna dabat:
Q uid facis exclamat Tybris pater: aspice Lunam;
Pulchra magis Luna Leucia stulte tua est.

DE MORTE MARONII.

G R A V I senecta oppressus, oppressus graui
T andem inopia rerum omnium Maronius,
C um nemo palmas in cauas miserrimi
D aret obolum lustrantis alienas domos;
N actus sepulchri fornicem tetri cauum,
V ltro silens'q; mentis integer subit,
E t in profunda se lacuna condidit,
I. bi'q; uitæ cessit, e, fœdissima.
Lex mortuorum est igitur in Maronio
M utata, non primum ut datum est mortalibus,
E st mortuus, sepultus ille postea;
V erum sepultus in sepulchro est mortuus.

IN AVARVM.

E ndymion stomacho dum forte laborat, auarus
Non mentam, nummos olfacit Endymion.

EPIT. ANTONII CARD. COGNOMENTO DE MONTE.

Dum coluit montes Romanus, ad usq; columnas
Herculis atq; Indos protulit imperium:
Verum ubi desertis paulatim montibus, imas
Incoluit ualles; sub iuga colla dedit:
Hoc tantum super unus erat Mons tempore, cunctis
Altior, & cunctis montibus uberior:
Qui quoniam cecidit, nil nunc supereminet, & iam
Abiecta, atq; fame perdita Roma iacet.

AD HIER. THEODOLVM.

Quo male sane fugis, tendis'q; Theodole? Roma
Tempore quo saeuus sirius ardet, abis?
Verte fugam, carae linquis si moenia Romae,
Non tua sollicitus pectora linquet Amor:
Non si etiam Gades tua regna per humida adibis
Aequora, possessum deseret ille latus:
Quin sero quamuis redeuntem, fortius uret
Improbus: & dicet sic tibi turba leuis:
I, pete nunc latium & latebras; Amor acer amaeno
In latio, in latebris, & latet in latere.

AD LEVCIAM.

QVI somnos faciles carpere non potest,
Cui non grata domus, sed grauis est sua,
Fas est ocia quærat,
Fas est qua iuuat ambulet:
H inc ad te celeres Leucia me pedes
Perducunt toties noctibus horridis:
Nocte heu quàm bene laudes
Externa cecini tuas:
V tq; admitterer, ò improba, quas preces
Non fudi miseras flebilibus modis?
Me quisq; est miseratus
Qui me proximus audijt;
N on tu, quod si aliquis tecum erat (ut puto)
Me appello miserum, sin uiduo in toro
Sola & surda cubabas,
Lætor; pande fores Dea.

IN VITVM FERRATVM.

F ERRATE quem fortuna fecit diuitem
E x inope, mendicóq;, & obscurissimo;
Q uem nobilem non potuit unquam reddere
E rustico hæc eadem ex inerti & improbo;
Q uonam rogo dic tempore, aut quo seculo
D isces honeste uiuere? & tam sordidam
T urpem'q; uitam deseres miserrume?

Tu stolidus es, tu ineptus, & tu perditus,
P *roferre nescis uerba tantum quattuor*
Q *uæ non cachinnos excitent, uel nauseam*
O *mnibus, ea es facundia insulsissime.*
An non uides quoscunq; qui te nouerint,
O *disse te, te fugere, te facere pili,*
T *ibiq; morbos imprecari noxios?*
T *u non amico profuisse uisus es,*
T *u nec propinquo, tu nec unquam patriæ.*
Q *uin dees tibimet, perperam cum puluerem*
A *estusq; nimbosq; & sitim ac famen feras;*
N *am tugurium quoddam incolis, quod imbribus*
H *yems quotannis obruit cadentibus,*
C *aloribus perurit æstas feruidis;*
T *e Sirio torrente, non umbræ fouent,*
F *ouet nec ignis sæuiente Aquario:*
Est allium cœna tibi, cæpa prandium,
S *imulq; panis ater atq; mucidus:*
N *os luce festa te inuolutum uestibus*
P *er ampla templa cernimus crassissimis*
V *ilissimisq; semper & tritissimis;*
Q *uod nescio quiete qua mentis feras,*
Q *uandoquidem uirtute non ulla tua,*
I *niuria sed perditorum temporum,*
S *is Præses aræ Mutilensis, mutilus,*
Q *ui naribus sis (ut merere) & auribus:*
Mirum quidem, cur tot preces affinium
M *inæq;, permultæq; contumeliæ*

N il iuuerint, nec ponderis quid habuerint,
I nire posses ut probæ uitæ uiam;
O, Vite uita indigne, digne uitibus,
V irgis'q; Vite, uir'q, uitande omnibus;
N on te senecta exanguem & exhaustum pudet,
C urare nil quicquam aliud in dies, nisi
Q uanam uia, quibus'ue possis artibus
A uferre, compilare, & aurum condere?
Aurum repertum dives est mortalibus,
E t nunc ubiq; comparatur gentium,
V t quisq, possit parto eo elegantius
H onestius'q; uiuere, ac decentius;
N on illud ut premamus arca ahenea,
V isceribus aut telluris abdamus caue;
V ite improbissime, & uir ignauissime;
Q uem quisq; ditem nunc ut olim pauperem
F locci facit, uiuis enim egenus omnium;
A urum'q; tanquam desit, adiuuat nihil,
Abi ergo abi hinc in maximam malam crucem,
A bi, inquam, & Vrbes linque, & aulas principum,
A bsiste claris cum uiris uersarier;
I, fœda pete mapalia, i, mandras pete,
T uos penates, & tua incunabula;
Scitoq; dehinc, nos esse terris editos
A d ipsam honestatem, esse nec aliud malum
Maius homini, grauius'q; turpitudine:
O, omnium mortalium turpissime,
O, perditissime omnium mortalium.

DE ANNIBALE CAPICIO NEAPOLITANO.

T urmæ equitum Turcarum, Italas dū tendere cōtra
Non audent, audent laudis amore duo:
N ostrorum'q; alas inuadunt fortibus ausis,
Perrumpunt'q; aciem, signa'q; transiliunt:
I ncolumes'q; ambo redeunt ad læta suorum
Agmina, spectatæ laudis honore pares:
O pprobrij impatiens iræ'q, Capicius, hastam
Arripit, at q; hostes irruit in medios:
E t iaculo primi caua tempora traijcit hostis,
Rem'q; dehinc stricto cominus ense gerit:
D um'q; furit, gyro'q; omnes circumuolat unus,
Alterius late pectora transadigit:
I nde alium, tortos equitat dum cautus in orbes,
Demetit; & uictor sub sua signa redit:
O' factum immortale uiri, seclis'q; canendum
Omnibus, o' magni nobile Martis opus.

DE LEVCIA.

E st soror, est frater, pater est, & mater amicæ,
Vir'q; meæ; qua nil pulchrius Orbis habet:
L eucia non horum per nomina, sed mea iurat;
Vt pote quæ præfert me sine fraude suis:
A st ego non tantum coniunctis sanguine, sed Dys
(Sit fas) posthabitis, te dea magna colam.

IN FVSCVM.

Quæsieram cur mœstus erat, cur Fuscus ad auras
Non posset superas tollere triste caput:
Dans gemitum ingentem tumido de pectore, clamat,
Hæredem, ut scripsit me Numa, conualuit.

EPITAPHIVM AIACIS TELAMONII.

Magnus in hoc situs est tumulo Telamonius Aiax,
Qui cecidit dextra fossus & ense suo:
Non hoc alter erat bello, nec maior in armis,
Cui fas inuictum uincere posse foret:
Non se igitur præceps cæcusue furore peremit;
Sed quo dignus erat maluit ense mori.

IN CLEMENTEM SEPT. PONT. MAX.

O occubuit tandem Clemens, clementia tandem
Nunc puto te terris affore, quæ iam aberas.

IN MALVM POETAM.

Sunt etiam in Musis furiæ, cum Mappe poëtam
Te faciant, qui tot carmina inepta facis:
Scribe, age, scribe, rogo; non hac insania maior
Vlla tibi optari stulte poëta potest.

DE LEVCIA.

+ N udus eram, & niueis me nuda amplexa lacertis 14
Leucia, anhelanti basia blanda dabat:
O bstupui decus aspiciens, formamq; puellæ;
Et dare delicias est mihi uisa Venus:
C ui dixi merito exultans: mihi pulcher Adonis
Cedat, & Aeneæ tu mihi cede pater.

AD PETRVM ARETINVM.

A retine taces? & tempora perdita cessas
Lentus inersq; tuis carpere carminibus?
P erge, age, carpe duces opprobria turpia secli;
Inuehere in mores in male facta patrum:
S unt proceres æui portenta immania nostri;
Nec nisi tu quisquam hæc perdere monstra potest.

AD FAVSTVM.

P ollicitis non muneribus mihi Fauste uideris
Diues, & es linguæ non mihi largus opum:
S i promissa mihi tu punica mala negabis,
In te ego delusus prælia dura geram:
Q uod dare noluerint promissa armenta, peremit
Amphitrioniades Laomedontiadas.

FRANCISCI FRANCHINI COSENTINI EPIGRAMMATVM LIBER SECVNDVS.

DE PAVLO TERTIO PONT. MAX.

PAVLVS *ad imperiũ magnum* Ioue *missus ab alto;*
Candoris secum lilia plena tulit:
N*ec mirum quod uere magis nunc bruma nitescat,*
V*er erit hoc terris Principe perpetuum.*

IN HORANVM.

IN *Pontifice creando ineptus* Horanus
I*ntra fuisse sacra septa se iactat,*
A*itq; se extitisse de uiris unum*
M*agnis, probisq;, heroibusq; præclaris,*
T*anquam ex equo qui prodiere troiano:*
Vir impudens Horane*, contumax, demens,*
C*ur non siles, cur non manu ora compescis?*
N*on te subit, quid usq; gesseris rerum,*
V*ocatus ad ministeria ab hero fœda*
M*e teste? nanq; eodem & ipse conclaui*

S eptis in ijsdem interfui, nec aut somno
A ut poculis tunc deditus, nihil sensi;
T e uidimus, tuumq; risimus dorsum,
F œdisq; plenas sordibus manus ambas;
I nterq; claros laude tot uiros, unum
N emo negabit te fuisse Thersitem.

DE CAROLO QVINTO RO. IMP. SEMPER AVGVSTO.

R ex Asiæ, Libyæ Regem detruserat altis
Sedibus, & populis iura superba dabat:
C um Cæsar casum insontis miseratus, amico
Classe potens affert Rex generosus opem:
I nnumerasq; acies terraq; mariq; Tyranni
Aggressus, lybico uictor ab Orbe fugat:
H inc Regem eiectum solio sceptrisq; reponit;
Et tantum lauros fronte uirente refert;
I ure igitur cœlo se gloria Cæsaris infert;
Vincere qui Reges, & dare regna potest.

AD ALFONSUM AVALVM VASTI PRINCIPEM.

Qualia dardanas Agamemnon duxit in oras,
Magnorum quondam pectora multa ducum:
Quos inter, melior Pelides dextera, Vlysses
Consilio, linguæ flumine Nestor erat:

Talia magnanimum Heroum modo Cæsar habebat,
Dum bello ardentem fulminat ad Libyam:
Tu uero ante alios tu præstantissimus ille es
Auale, tu merito pro tribus unus eras:
Quo non ingenio, non ui, non fulmine linguæ,
Itala maiorem terra, nec Orbis habet.

IN NIGRVM GRAMMATICVM

Per fora facta doces Paridis Niger & Menelai;
Vxor habet Paridas dum tua Polla domi.

IN CINNAM.

Conquereris quod bis puerum te Cinna uocarim,
Ingenio tanquam sis puer atq; rudis:
Non equidem ratione senex hac improbe dixi,
Hac etenim semper uisus es esse puer:
Bis puerum dixi, quod des annosus, ut olim
Nunc quoq; sulcandas fœde cinæde nates.

AD ALFONSVM AVALVM VASTI PRINCIPEM.

Hospitium quod sis non dedignatus inane,
Et mea non magnæ tecta subire domus:
Lætitia exulto, lætumq; Philemona uinco,
Cuius adit paruæ Iupiter antra casæ:

Ille Iouis faciem uidit semel Auale tantum;
Tu mihi praesenti numine semper ades.

DE VILLA BERNARDINI MARTIRIANI.

Laeta dies fulgebat, erant placida aequora ponti,
Leucopetram, e pelago cum uidet alma Thetis:
Et longe aspiciens niueo candore nitentem;
Accedit rapidis per mare uecta rotis:
Utq; suam nouit iunctam in beneolentibus hortis
Martirianeo Leucopetram thalamo:
Nunc tibi Nereidum pulcherrima; gratulor inquit
Quae cultu gaudes tam bene culta uiro:
Vix Peleus tanto me Rex excepit honore;
Me, cui tot parent littora, tot maria.

DE ANTONIO CANTELMO NEAPOLITANO.

Cantelmus puer est adeo formosius; ut unum
Certatim e` caelo Dijq;, Deaeq; petant:
Idem adeo est clarus cantu Cantelmus, ut ipsa
Calliope natum praedicet esse suum:
Est'q; adeo illustris Cantelmus sanguine, claris
Vt ualeat Reges uincere diues Auis:
Cum niteas Cantelme igitur tot laudibus unus;
Numina me perdant, tu nisi numen habes.

AD CARO=

AD CAROLVM QVINTVM ROM. IMP.

P er fora dum Cæsar ducis Romana triumphum,
Aestifera fusis hostibus in Libya:
L ætitia se se tarpeia è rupe Quirinus
Extulit, & gelidis se Tyberinus aquis:
N anq; antiquæ animos pompæ perstrinxit imago,
Et ueterum heroum gloria celsa subit:
E rgo ambo acclamant: felix sis Carole, qui nos
Erigis, & penitus non cæcidisse sinis.

ALIVD.

T ybris ut aspexit te maxime Cæsar ouantem,
Scipiadæ dixit cedite, cede Mari.

AD PAVLVM. III. PONT. MAX.

E libya aduenit Romanas uictor ad arces
Cæsar, & in niueis aureus iuit equis:
I lle triumphauit, sed tu plus Paule triumphas;
Victor nanq; tuis oscula dat pedibus.

ALIVD.

I llum ego cuius ouans pedibus dat debita Cæsar
Oscula, non hominem Paule puto, Deus est.

AD ERIDANVM FLVVIVM
Lydia loquitur.

E ridane ingenti rapidarum flumine aquarum,
Qui petis Adriaci littora rauca maris:
R edde mihi Fabium incolumem, fluuióq; secundo
Duc puerum, fidei est creditus ille tuæ:
C rimen maius erit, Fabium cecidisse sub undis,
Quam Phaëtonta tuis occubuisse uadis:
H ic placidus Rex magne puer; fuit ille proteruus,
Nec tam pulcher erat, quam Fabius, Phaëton.

AD LEVCIAM.

QVA nocte fulgent lucida sydera,
Et Luna uultu splendida candido
Terram & plagas cœli serenat,
Leucia, luna, meum'q; sydus;
V obis uoluptas non minima est, leues
Audire cantus, sub Ioue frigido
Quos ore facundo amantes
Non sine dant fidibus canoris:
E n profer alta de specula caput;
Aures'q; pronas arrige, senties
Quæ pruriant, quæ sint faceto
Sparsa ioco & tenero lepore;
A rmatus ad te cum cithara & lyra
Et barbito, & cum carminibus nouis,

Me confero, Cissa inuidebit,
Anna premet tacitum dolorem.
Quas comparari se tibi non pudet,
Eia Lycota, Lide, Dinotate,
Dum Leuciam canto, huc adeste,
Vosq; sonora mouete plectra.

IN QVINTINVM.

QVINTINE *qui tam te tuiq; sanguinis*
I *actas Auos, totiesq; Maiores tuos;*
P *alamq; profers, non nisi antiquissima*
Q *ui sunt origine, editiue heroibus,*
D *eberi honores dignitatis & gradus,*
H *oc à me habeto nuncio magni Iouis;*
T *e iure nullo gentium neq; hoc tuo,*
D *ignum esse qua insolenter arrogans tumes*
H *ac muricis cruore tincta purpura.*
Non clara stirps, non sanguis, aut priscum genus,
S *ed clara uirtus, sancta probitas, sana mens,*
F *asces merentur & secures horridas:*
S *unt Septimi, sunt Seruij, sunt & Numæ.*
D *igni coronis atq; sceptris aureis,*
N *on Caligulæ, Vitelliјue, aut Commodi,*
A *liaue passim monstra quæ Tellus creat.*
Primum omnium, deforme corpus est tibi,
D *eformior uultus, animus turpissimus;*
I *ners enim es, rudisq;, nequam, & futilis,*

AD ERIDANVM FLVVIVM
Lydia loquitur.

B ridane ingenti rapidarum flumine aquarum,
Qui petis Adriaci littora rauca maris:
R edde mihi Fabium incolumem, fluuioq; secundo
Duc puerum, fidei est creditus ille tuæ:
C rimen maius erit, Fabium cecidisse sub undis,
Quam Phaëtonta tuis occubuisse uadis:
H ic placidus Rex magne puer; fuit ille proteruus,
Nec tam pulcher erat, quam Fabius, Phaëton.

AD LEVCIAM.

QVA nocte fulgent lucida sydera,
Et Luna uultu splendidida candido
Terram & plagas cœli serenat,
Leucia, luna, meumq; sydus;
V obis uoluptas non minima est, leues
Audire cantus, sub Ioue frigido
Quos ore facundo amantes
Non sine dant fidibus canotis:
E n profer alta de specula caput;
Auresq; pronas arrige, senties
Quæ pruriant, quæ sint faceto
Sparsa ioco & tenero lepore;
A rmatus ad te cum cithara & lyra
Et barbito, & cum carminibus nouis,

Me confero, Cissa inuidebit,
Anna premet tacitum dolorem.
Quas comparari se tibi non pudet,
Eia Lycota, Lide, Dinotate,
Dum Leuciam canto, huc adeste,
Vosq; sonora mouete plectra.

IN QVINTINVM.

QVINTINE *qui tam te tuiq; sanguinis*
I *actas Auos, totiesq; Maiores tuos,*
P *alamq; profers, non nisi antiquissima*
Q *ui sunt origine, editiue heroibus,*
D *eberi honores dignitatis & gradus,*
H *oc à me habeto nuncio magni Iouis;*
T *e iure nullo gentium neq; hoc tuo,*
D *ignum esse qua insolenter arrogans tumes*
H *ac muricis cruore tincta purpura.*
Non clara stirps, non sanguis, aut priscum genus,
S *ed clara uirtus, sancta probitas, sana mens,*
F *asces merentur & secures horridas:*
S *unt Septimi, sunt Seruij, sunt & Numæ.*
D *igni coronis atq; sceptris aureis,*
N *on Caligulæ, Vitelliyue, aut Commodi,*
A *liaue passim monstra quæ Tellus creat.*
Primum omnium, deforme corpus est tibi,
D *eformior uultus, animus turpissimus;*
I *ners enim es, rudisq;, nequam, & futilis,*

R idendus, explodendus, & dignus ioco:
Q uis o quis unquam te semel quicquam audijt
D ixisse dignum memoria uel laudibus?
N isi usq; quaq; inepta, fœda, & sordida,
D ixisse & egisse teneris ab unguibus?
Hinc ut scias quæ uera sunt deterrime,
I gnobilissimus hominum tu es omnium;
N am genere non (ut reris) es claro satus,
N ec est pater tibi ille quem tu prædicas;
T u pessima parente genitus, es nothus;
R allus'q; Gauritanus est pater tuus;
D e fece, nedum plebe, natus gentium;
T uæ parentis seruus immundissimus;
Q uem perdita, impudens'q;, magnæ mentulæ
A more capta, amauit ante cæteros;
N on similis est tam musca muscæ, quàm tuo
T u similis es deformibus seruo genis.
Ergo tua ista, ista tua sententia,
T ot laudibus, tam patre clarus inclyto,
M ortalium Quintine sordidissime,
D ic qua (rogo) te sede dignum indicas,
Q ua dic corona laureane, an aurea?
Tu ne nebulo, tu nappa, tu nothus, meres
S enator incedere, & nitere purpura?
F ortuna demens, pessima, improba, insolens
D ea, si tamen Dea es, nec es nebula, & nihil;
C ur tam impudenter hæc facis, tam perperam?

ENNIVS PHILONARDVS CARD. PAVLVM. III. PONT. MAX. alloquitur.

Non mihi, Paule tibi posui quas aspicis ædes,
Te nec Terra capit, me casa parua capit.

AD PAVLVM. III. PONT. MAX.

Paule moues iusta hybernis dum mensibus arma,
Nascuntur molles læta per arua rosæ:
Quàm cito Victor eris, clarum dat Iupiter omen,
Cum tibi uer blandum, floreat ante diem.

ALIVD.

Do tibi Paule rosas alieno tempore natas,
Quo rigido spirat frigida bruma gelu:
Quam tua regna pater sint florida, noscere fas est,
Quando hyeme in media dat tua Roma rosas.

AD FLAMINIVM SABELLVM

Quo sine mente ruis, duro qui captus amore
Ingemis, & male fers seruitium dominæ?
Nulla deum uitare uia est, nam si ultima terræ
Antra petes, arcu te petet acer Amor:

P er freta diffugiam; dices spaciosa; natatu
Te capiet celeri per freta nudus Amor:
A d cœlum tentabis iter pernicibus alis?
Euros, & Zephyros præterit ales Amor:
S iste Sabelle pedem; cœli, terræq́;, marisq́;
Numina, dura pati uincula cogit Amor.

DE PETRO ALOISIO FARNESIO.

C onsilio, dextraq́; potens Farnesius heros,
Acer in aduersas dum parat arma manus:
I ngentemq́; bouem Clitumni mactat ad amnem,
Et facit armato milite sacra Ioui:
R eddita uox: bubus solitos Romane triumphos
De grege quo cecidit uictima, uictor ages.

AD LEVCIAM.

M obilitas animi summa est tibi Leucia, uerum
Nobilitas formæ Leucia summa tibi est:
D icam igitur, sed pace tua, te Leucia non est
Altera nobilior, altera mobilior.

AD PAVLVM III. PONT. MAX.

C erta tibi cum Paule foret victoria, parcis
Hostibus, & lætis ocia tuta facis:

R omanum est gentes ui debellare superbas,
Vincere cum possis, parcere posse; Dei est,

AD BARTHOLOMEVM CROTVM.

O cciderit quod Crote tuis de fratribus unus,
Morte cupis celeri magne Poëta mori:
V iue age, & inuitis fratrem fac uiuere fatis,
Reddere nam uitæ carmine Crote potes.

EPIT. TABERINI CATELLI.

E nnius è Tyrio pectus cui muricæ fulget,
Longæuos superat qui grauitate patres:
T e madidis Taberine genis deplorat ademptum,
Et tibi de pario marmore dat tumulum:
D e cane quem dicunt cœlum ascendisse poëtæ,
Fabula; tu cœlo, tu Ioue dignus eras.

IN CAMILLVM CINAEDVM.

S ustineas tergo cum mille Camille priapos,
Cumq; ferant humeri pondera tanta tuis
N escio qua dici mandas ratione Camillus,
Dicendus propria uoce Camelus eras.

DE FRVSINONE AD LEVCIAM.

Leucia me retinent colles Frusinonis amœni,
Me campi dulces, & Frusinonis aquæ:
Nec me Roma mouet, nec tu; te quisq; fruatur,
Dum gelido liceat me Frusinone frui.

AD CORIOLANVM MARTIRIANVM EPISCOPVM.

Hernica saxa colo, magnæ tu mœnia Romæ,
Me, quicunq; colunt hernica saxa, colunt:
Hos quoq; nos colimus, uerum te pectore toto
Ante hos, ante alios Coriolane colo.

AD PAVLVM PHILONARDVM.

Anna datur Prisco; miseret me Paule puellæ;
Cum sene nupta, nec est nupta, nec (heu) uidua est.

IN PALVDINOS.

Vrbs assueta dolis scelerata Paludia, gaudet
Sanguine fœdatas semper habere manus:
In se se arma mouet, secum fera prælia tractat,
Vsq; adeo, ut natos opprimat ense pater:
Hæc seruare fidem nescit, hæc membra trucidat
Hospitis, hæc temnit numina magna deum:

I mpia cuncta gerit sæuarum digna ferarum
Sæuitia, aut si quid sæuius esse potest:
I nfelix quicunq; pedem portæ intulit, ille
In Læstrygonias sentiet ipse domos.

DE LEVCIA AD IVLIVM LANDVM.

Q uid faciem formam'q; meæ laudes'q; puellæ,
Vt lepido celebrem carmine Lande mones?
F orsitan inuenies bene qui mortalia laudet,
Sed bene qui cantet numina, nullus erit.

IN EVTHYCVM IMBELLEM.

P orticibus depicta uidens fera prælia Martis
Euthycus, obriguit pallidus, & cecidit:
A tq; meæ exclamat gens o' Mauortia uitæ
Parcite, quo uultis me redimam pretio.

DE LEVCIA AEGROTANTE.

F ebre laborabat mea Leucia; febris anhelam
Cogebat gelidi poscere fontis aquas:
H as ego, ne miseræ officerent dare posse negaui,
Grata'q; feruenti pocula nulla dabam:
S ed lachrymis suffusa genas cum sæpius amnes
Posceret impatiens lassa puella sitis;

Et flens ipse, petis dixi quid fluminis undas?
Has bibe quas largo lumine do lacrimas.

IN CORBALVM NASVTVM.

Mirabar, tibi non unquam cum piscis ematur,
Piscibus unde aleres teq; tuam'q; domum:
At tuus iste ingens pro rete & arundine, & hamo,
Cum tibi sit nasus Corbale, causa patet.

DE OBITV LEVCIAE.

Quem tumulum spectas humilem ne sperne uiator,
Exigui non est numinis hic tumulus:
Huc ades, & manibus violas, & lilia plenis
Da tumulo, tumulis munera danda sacris:
Hic una integitur Charitum; si credere durum est,
Aspice, nanq; duæ sunt reliquæ in lacrimis.

ALIVD.

Morte tua doleo tantum mea Leucia, quantum
Non dolet ipsa parens, non dolet ipsa soror:
Nanq; parens natam deflet; germana sororem;
Nata, sororq; mihi, tu mihi mater eras.

ALIVD.

Quas tibi sæpe fero inferias, quæ dona quotannis
Leucia, pallentes sunt violæ, & lacrimæ:

D elicijs violas ſpargo pro mollibus, & cum
Reddere non poſſim gaudia, do lacrimas.

ALIVD.

D elicias inter molles, luſusq́;, iocosq́;,
Ex oculis miſero Leucia adempta mihi eſt:
N on ego morte puto raptam; Proſerpina Pluto,
Aut Europa tibi Iupiter illa fuit.

ALIVD.

N on mihi te frater, non uir, mater ue, pater ue,
Eripere, & centum non potuere proci:
S ed quæ ſola poteſt mihi te mors abſtulit; at mors
Non potis eſt, ne ſis mortua, uiua mihi:
N octes atq; dies mecum una agis, una dieq;
Ac noctu luſus deliciasq; facis:
S is felix, cui uiua pari mea Leucia amore
Viuebas, uiues mortua, uiuet Amor.

IN VASPARVM.

I nuidus es, quodq; inuideas mihi Vaſpare, lætor,
Iſta tibi, nobis non nocet inuidia:
I nferior tu me; ex ipſa re collige quàm ſis,
Tu mihi inepte, tibi non equidem inuideo:
V tq; miſer magis inuideas, mihi docta Iuuentus
Dat laudes, Reges munera; Paulus opes.

AD IVLIVM POGGIANVM ET IANVM VITALEM.

I VLI & Iane diu mei sodales,
N on tantum modo forsan ut putatis,
A misi dominam & meos amores;
V erum omnes Veneres, cupidinesq;,
E t quantum est iuuenum facetiorum.
Amisi miser unicum leuamen
C urarum simul & simul laborum,
Q uin & uitam, animamq; cariorem,
N e dum delicias meas, meosq;
L usus (pro Superi, & meos lepores.
Et me fletibus abstinere multis?
E t me fundere lacrimas uetatis?
N on si cras Iolen Venus nitentem,
P ulchramue Antiopen mihi, aut Lacænam
C um multis daret aureis talentis,
V nquam decidet hic dolor, sed usq;
S urget fortior in dies, in horas;
N anq; alte hoc mihi uulnus est adactum;
H oc e pectore uulnus egit omnes
M ihi lætitias, iocosq; molles.
Quare me sinite usq; lacrimari,
E t septem gemitu replere colles;
Q uis o quis sine Leucia uidebit
M e ridere semel, semel iocari?

DE PAVLO III. PONT. MAX.

Ardentem bello Paulus pacauerat Orbem,
Et terræ, & lato pax erat alma mari:
Cum pelagi Deus, & terræ Dea, gaudia captant;
Sed pacem hanc ipsos non peperisse, pudet:
Quæ dabitur laus Paule igitur te digna, dedisse,
Te solum quod Dij non potuere duo?

DE MARGARITA AVSTRIA FARNESIA.

Ne numerem innumeras laudes, quas regia uirgo
Austria habet, pleno carmine pauca loquar;
Vxor Alexandri nuper fuit Austria, nunc est
Octaui, & Cæsar filia magne tua est.

IN STATVAM VENERIS DORMIENTIS. AD RODVLPHVM PIVM CARD. COGNOMENTO CARPVM.

Mars venerem ut uidit carpentẽ in gramine somnos,
Festinat lateri iungere posse latus:
Accubat, at saxo ut sensit se uana dedisse
Oscula, delusus risit, & erubuit.

ALIVD.

E xcutere instabat Veneri de pectore somnum
Diuum cœtus, egens artis, opisq; deæ:
C um non ipse etiam ductam de marmore matrem
Esse uidens, nemo suscitet, inquit Amor:
A bstinuere omnes, decepti marmore, credam
Vt quandoq; oculos non habuisse deos.

ALIVD.

C aptus amore nouo gnydia de gente uir olim,
Marmoream Venerem nocte proteruus init:
C arpe tuam, caue ne Venerem magis ore nitentem
Romanus medio tentet inire die.

ALIVD.

O ppressam Venerem somno, solamq; iacentem
Viderat ad murmur lene Priapus aquæ:
C um dixit: nunc victor ero, venus improba sola est,
Hic neq; Sileni uector asellus adest:
H inc adit, & Venerem aggreditur tentigine ruptus;
Verum ubi se uidit saxum iniisse, pudet:
E t nunc bruta uetant; obstant nũc marmora; clamat;
Ah me Amor, ah quantis ludis imaginibus.

ALIVD.

A ura ueni, venus alma dedit per membra quietem,
Dum venerem somnus detinet; aura ueni:
N e sine, quod venerem præter quæ labitur unda,
Forte tuo currat murmure blanda magis:
Q uin propera; flatus veneris qui spirat ab ore,
Plus tibi suauis erit, quàm tuus aura deæ.

ALIVD.

I n te hominũ quod tãtus amor Rodulphe, deliq; est,
Non iam causa latet; scimus; habes venerem.

DE AMBROSIO COMPERGO GERMANO.

A d cœnam Ambrosius læta me fronte uocauit;
Me'q; cibo, & potu pauit, & eloquio:
N on alias Superis epulas dat Iupiter: ergo
Dicam equidem: Ambrosius mi dedit Ambrosiam.

AD PAVLVM. III.

PONT. MAX.

M ilitibus prima Paulus mercede soluta,
Iam tria confecit tempore bella breui:

Quodq; magis mirum, pariter pietate, uel annis,
Est grauis, in'q; omni re graue pondus habet:
Dij seruent te Paule diu, qui templa deorum,
Qui seruas celeri cum grauitate Deos.

IN THAMYRAM.

Filius es Terræ Thamyra, nam quæ tibi mater
Sit nescis, nec quæ patria, qui'ue pater:
Attamen haud aliud quam facta aliena laboras
Scire, quid alter agit; scire, quid alter habet:
Audi igitur demens: tua patria sordida uilla est;
Fur genitor, mater corpore corpus alit.

IOCATVR IN IVLVM QVENDAM BIBACEM.

Qui patera ingenti perdis tam paruus Iacchum,
Nec iactura tui te mouet ulla dei:
Læta fronte scyphum paruum cape, parce falerno,
Parce deo, ne te perdat Iule deus.

DE ALEXANDRO FARNESIO CARDINALE.

Tybur Alexander Farnesius iuerat, & uix
Fatidicæ attigerat limina sacra deæ;
Ex alto

E x alto cum uox ingens est reddita templo;
Audijt,e, gelidis quam Tyberinus aquis:
Magne puer cui nomen Aui est, longæuus habebis
Nomen Aui, necnon grandia sceptra tui.

AD PAVLVM. III. PONT. MAX. DE TERRAE MOTV.

H orribili Tellus tremuit si concita motu,
Omine firma animum; cuncta secunda uides:
Q uæ te Roma colit, cum Dys pia uota dedisset,
Vt seruent patriæ te pater alme tuæ;
A nnuit, & nutu tremefecit Iupiter orbem;
Sis felix, serus sydera Paule petes.

DE GALLAE FILIA.

T res Gallam Heroës medio futuere sub antro
Per risum, Vrsinus, Sfortia, Farnesius:
I lla grauis peperit maturo tempore natam;
Hæc dolet, & certi nescia patris, ait:
I nfelix, rebar quæ treis habuisse parentes;
Nullus adest natam qui uelit esse suam.

DE ALEX. FARNESIO CARD. AEGROTANTE.

O mnis Alexandrum languentem exercitus olim,
Vt uoto exarsit uelle uidere pari:

S ic nunc assiduis immiscens uota querelis,
Ardet Alexandrum Roma uidere suum:
Q ui nisi quamprimum ualeat, se seq; uidendum
Præbeat, in clausas irruet illa fores:
V iue, age, Alexander, caput erige, & erige Romam;
Non nisi te uiuo uiuere Roma potest.

IN EFFIGIEM CYPRIAE Puellæ.

V t Cypriam uidit pictam, nomen'q; tabellæ
Inscriptum, dixit diua repente Venus:
P icturæ quid pictor opus fuit addere nomen?
Non mea me notam sola facit facies?

ALIVD.

Q uid tibi Mars mecū ē? nō sum Venus, aspice nō sū;
Nomen ego & formam tantum habeo Veneris.

AD CHAROPVM
Martius loquitur.

E cce tuas uestit lanugo Charope malas,
Occupat & teneras inuida barba genas:
S etarum'q; seges formosa obrepit in ora,
Maxima cura tibi, maxima cura mihi:
P ro scelus, ipsa nouo semper fit uertice quercus
Altior, & frondes induit & reicit:

N os, ubi cinxerunt faciem dumeta, uepres'q;
Obsedere genas; carpimur, & cadimus.

DE POMPONIO MELA.

D ignus laude liber; paruus complectitur Orbem;
Qua q; decet summa est conditus arte liber.

IN VELLIAM LVSITANAM.

Vellia quæ rigidis cunctorum uellera uellis
Vnguibus, & uulso de grege condis opes:
M e quoq; (inauulsum ne quid scelerata relinquas)
Sacrilega incumbis uellere uelle manu?
F alleris: a me unum non uillum Vellia uelles,
Vilior es rudibus tu mihi uelleribus.

ALIVD.

H anc fuge quisquis amas, unco non Vellia tantum
Vngue, sed effræno uellicat ore procos.

ALIVD.

V A L E puella defututa millibus,
P atens'q; cum ioco & lepore cuilibet
F acillime, uel hic uel ille te petat
I neptus, ast itentidem omnium lupa;
A cerba pestis omnium, omnium lues;

V ale, Deis bene adiuuantibus, calor
E t ignis ille Vellia occidit meus,
N ec amplius calescet unquam, aquarum enim
E go attigi, bibi'q; Leucados satis;
P rius scelesta non abisse me piget,
P iget te amasse tam diu; & nimis pudet;
V ale puella diffututa millibus.

ALIVD.

A d templũ et sacræ celebranda ad sacra Mineruæ
Se se ferre suæ Vellia dixit auæ:
N on tamen ad castæ se contulit ostia diuæ,
Improba sed lenæ limina turpis adit:
I lli igitur nimium debes quæ numine læso
Palladis, obseruat magne Priape tuum.

FRANCISCI FRANCHINI COSENTINI EPIGRAMMATVM LIBER TERTIVS.

DE SEIPSO.

1

ARMA *gero, classemq; sequor tendentis in Afros*
Caesaris, & portum desero Luna tuum:
L*una soror Phoebi; fac me classemq; secundis*
Flatibus, ad Libyae littora, uentus agat:
C*armine Caesareos celebrabit Apollo triumphos;*
Ipse canam laudes aurea Luna tuas.

DE OCTAVIO FARNESIO.

2

N*udato Nomades Farnesius ense fugarat*
Arduus in celeri conspiciendus equo:
C*um Mars, qui pueri factum spectarat ab astris,*
Et quantus puero uiderat ardor erat:
M*agna olim mea Roma uiris tandem edidit unum,*
Qui se se dignum me patre praebet, ait:
P*erge, age, bella meus sanguis gere, rursus olympo*
Te duce, & auspicijs se feret illa tuis.

DE CAROLO. V. RO. IMP.

Quod Nomadum gentem Cæsar non uicerit, ira
Ardet, & ingenti corda dolore premit:
Nescius hoc magnum bello meruisse triumphum;
Tam clara inuicti facta fuere Ducis:
Tempestas, Mauors, fortuna, sitisq;, famesq;
Vno in te Cæsar tempore bella cient:
Vno eodemq; fames, Mauors, fortuna, sitisq;,
Diraq; tempestas tempore, uicta tibi est:
Nonne fuit maior uirtus tua, uincere monstra hæc,
Quàm Nomades? animos, uince, age, uince tuos.

ALIVD.

Quod Numidas Cæsar potuit non uincere, uictum
Se putat; inuicti more Leonis agit.

EPIT. FRANC. BELLINI.

Te Belline fleo defunctum lumine uitæ,
Postulat ut nostræ fœdus amicitiæ:
Par studium nobis, idem Dux, una uoluntas,
Vna fuit Libycis naufraga puppis aquis:
Nos modo diuisit duris Hispania terris,
Et tua qui retinet durior ossa Tagus:
Quàm fuit Hesperia hæc nostra male uisa relicta;
Altera te genuit, altera te rapuit.

AD ALOISIVM AVILAM.

V ltima in Hesperia multos uirtute nitentes
Vidimus, & dignos Auila laude uiros:
T u uero ante alios, aliorum pace uirorum,
Dignior, & flos es candidus Hesperiæ.

DE IVLIANA ANGELA ARAGONIA.

A prorum capita aspiciens latonia virgo
Vrsorumq; tua Iulia cæsa manu:
P erde ait Hesperias diuiso Iulia regno,
Et sine me Eoas perdere posse feras:

AD MARIAM MENDOCIAM.

I ure nites niueo Mendocia flore iuuentæ,
Perpetuoq; uires tempore, nanq; dea es.

IN LAVDEM HERNANDI CORTESII.

Q ui pellem auratam Colchis auexit Iason
Puppe secans pontum, laudibus astra petit:
P ulsat utrunq; polum tua fama Hernande, petisti
Q ui nunquam uisos classibus Antipodas.

V nde auro & gemmis oneratæ mille Carinæ,
Annua de uicta gente tributa uehunt.

ALIVD.

Q uod Macedo Persas, paucos & uicerit Indos,
Emeruit magni nomen habere Ducis:
H ernandus titulo celebretur maximus, Indos
Qui bello innumeros uicit, & Antipodas.

ALIVD

A lcides latæ multum Telluris obiuit
Victor, & ante alios clarus in orbe fuit:
C larior Hernandus, nam plus Telluris obiuit,
Plus maris, ignotos uicit & Antipodas.

ALIVD.

S cipio se Regem non passus uoce uocari,
Ingenti laudum dignus honore fuit:
S cipiade Hernandus laudari dignior ipso est;
Nec regem dici, nec tulit ille deum.

ALIVD.

C orniger Eoos deuicit Bacchus ut Indos,
Iussa dedit uictis, ut sibi thura darent:

H ernandus contra, poni sibi noluit aras,
Altera ubi est armis India uicta suis:
E st igitur Baccho maior Cortesius, hic se
Abnuit esse Deum, ui fuit ille Deus.

IN MALEDICVM PRO CAESARE.

Q ui quondam incendit magnæ sacra templa Dianæ,
Mentis inops, cupidus nominis ille fuit:
S ic tu qui sacrum male cultis uersibus audes
Cæsaris inuicti carpere uelle caput:
M ox captus, uelut ille dedit, dabis improbe pœnas;
Et mors iure tibi, non tibi nomen erit.

IN PODAGRAM IN LAVDEM CAESARIS.

F ilia Desidiæ, & languentis filia Somni,
Quæ procerum penetras fœda Podagra lares;
I ntrepidos scelerata pedes quoq; Cæsaris audes
Aggredi, & inuictas detinuisse manus?
I, pete socordes, & amantes ocia Reges,
Dulcis ubi statio est & tua certa domus:
N il tibi cum uigili, tibi nil cum Cæsare forti est,
Inuida solue manus, hos, age, solue pedes:
A mota nam te, Cæsar pede comprimet Orbem,
Terrarum attollet grandia sceptra manu.

DE PHILIPPO AVSTRIA HISPANIARVM PRINCIPE AEGROTANTE.

Hesperia in magna grauiter languente Philippo,
Tristis erat Sicoris, tristis Iberus erat:
Reddidit incolumem subito cum Phœbus, & unà
Lætus erat Sicoris, lætus Iberus erat:
Mars soluit Phœbo grates: & dixit; alumnus
Qui nunc Phœbe tuus, noster alumnus erit.

AD OCEANVM.

Tu ne ille Oceanus totum qui amplecteris Orbem?
Omnia cui parent littora & Orbis aquæ?
Quantum numen habes? quæ sceptra immania gestas?
Quàm sunt magnæ tibi bracchia longa pater:
Tu grauibus terram quatis ictibus, æstibus urges
Aëra, tu uastis fluctibus astra feris:
Hoc ego magnanimum, niueum'q, in littore taurum
Callaico multa cum prece macto tibi:
Acciderit si forte tuis me credere regnis;
Abstineas auidas Rex generose manus.

DE OCTAVIO FARNESIO.

Romanus Romanum habitum Farnesius heros
Sumpserat, & Troiam luserat acer equis:

Cum nitidum attolens undis caput amnis Iberus,
Romanos olim qui bene norat; ait:
O Octaui, ueterum, uestem'q; & nomen Auorum
Non modo, uerum animos & benefacta refers.

DE SE IPSO.

Hesperia in media non longe ab Rege putarunt
Me Regem agrestes, & tetigere manum:
Quid facis exclamo gens nescia? Cæsare tam sum
Ah minor, Atridis quam minor Irus erat.

AD CAESAREM.

Assurgit tibi dum passim gens obuia Cæsar,
Qua se se æquoreis miscet Iberus aquis.
Vidimus in liquido Delphines ludere ponto;
Et peni ante tuos exiluisse pedes:
Vno eodem'q; igitur lætantes tempore Cæsar,
Imperio paret Terra, fretum'q; tuo.

DE NICOLAO PERNOTO. GRANVELO.

Ante alios Cæsar Granuelo aspirat, & uni
Ante alios magni Cæsaris aura fauet:
Nam q; uiri spectans animos in fluctibus atris
Curatum, & subitis casibus ingenium:

Laetus ait: quocunq; mari, quoscunq; per aestus,
Meq; meamq; ratem grandia uela regant.

DE SE IPSO.

Iam libyci tandem magnum maris aequor araui,
Insulaq; incolumem me Balearis habet:
Do maris ergo Deo generosi pocula Bacchi,
Nereides uobis pocula dulcis aquae:
Si pelagi reliquum dabitur mihi lembus auris
Findere, & ad patrios posse redire lares:
Indomitus Neptune cadet tibi Taurus ad aram,
Alba dabo Nymphis lilia mista rosis.

IN SABIVM NASVTVM AD FRANCISCVM BINVM.

Egregius forma Sabij Bine optime nasus
Accipe det diti commoda quanta uiro:
Si fodit, est illi nasus ligo; si metit, est falx;
Amphora, si potat; fuscina, si comedit:
Si sulcat, uomer; si nauigat, anchora, somnos
Si carpit, sonitus est tuba terribilis:
Fortunate Sabi; cui si quis crura, manusq;
Amputet, iste tuus sat tibi nasus erit.

IN EXPVGNATIONEM DVRAE IN VBIIS.

N omine Dura suo, duris & mœnibus audax,
Noluit æratas quæ reserare fores:
E xpugnata tibi est duro certamine Cæsar,
Et direpta tuis improba militibus:
A equo iure igitur, quæ non tibi maxime Cæsar
Dedita Dura fuit, diruta Dura fuit.

ALIVD.

D iruta ab Ausonijs Dura est, & diruta Iberis;
Dic breuius; Dura est diruta ab Hesperijs.

ALIVD.

V t duram duro delesti Marte superbam:
Nil tibi dehinc durum maxime Cæsar erit.

DE IOANNE IACOBO MEDICE.

T ormentis præfectus erat Mediceius heros,
Et duræ æquarat mœnia dura solo:
C um stragem e cœlo prospectans Iupiter, inquit.
Vix fit fulminibus tanta ruina meis.

AD CAMILLVM COLVMNAM

M ilitibus Romane tuis deleta Camille
Dura fuit, magni Cæsaris auspicijs:

F ortes bella gerant; licet hanc contundere gentem
Non nisi Romanis, non nisi Cæsaribus:

AD CAESAREM IN LAVDEM MARIAE REGINAE EIVS SORORIS.

B ello inuicta soror Cæsar tua, iunxit in armis
Vt tibi se, castris & sua castra tuis:
D edidit hostis atrox tibi se tuus ille Sicamber,
Quem uidi ante tuos procubuisse pedes:
E t quid agam? dixit, belli duo numina, Mauors,
Et Bellona, in me si fera bella gerunt.

EPIT. MARCI ANTONII NIGRI ROMANI.

In Belgis Niger effudit cum sanguine uitam
Marte potens; iacet hic; non niger, albus erat.

IN MARCVM HERMINIVM RO.

L orica horrentem Herminium, galeaq; comanti
Dum rigido imbellis uomere Flaccus arat:
F orte uidens scelus infandum Venus aurea, pallet;
Et pathicum, Martem iam putat esse suum:
S ed prope ut accessit, mollem dea nacta cinædum,
Gaudet, & ad cæli læta theatra uolat:

O mnia quæ postquam dixit Martiq; Deisq;
Omnibus, & magni riserat aula Iouis:
I uno inquit; cur Mars uestrũ et Cytherea ministrũ
Luditis? hic Mars est pectore, clune Venus,

ALIVD.

R omanum Herminium galea et thorace superbum,
Cernentemq; uidens Mars generosus, ait:
I, cape tela manu sanguis meus, i, pete castra,
Assuetusq; pati uulnera, bella moue.

ALIVD.

M arce etiam thorace ferox, & acinace cinctus,
Te passim prono pectore prostituis?
N ec pudet? infelix præbes si terga togatis;
Quam facile armatis hostibus illa dabis.

AD TYBERIM FLVVIVM.

T ybri tuum postquam fatis urgentibus amnem
Deserui, excepit me baleare fretum:
H inc fluctus sileam ut libycos, me uexit Iberus
Inde Tagus, post hos Sequana, & Oceanus:
D anubius dehinc, post Rhenus, post unda Mosellæ,
Nunc inuitus agor rursus ad Oceanum:
Q uando erit illa dies, qua te & tua prata reuisam
Denq; alacer Nymphis oscula mille tuis?

Quid mihi cum terris toties, alijs'q; tot annos
Gentibus? absceßus non meus, exilium est:
Tu qui numen habes reuoca Tyberine uagantem,
Fac reduci soluam dulcia uota Deo:
O, queis fusus humi cingam tua tempora sertis,
Quae tibi propter aquam carmina laeta dabo.

IN COTONEM HOMVNCVLVM.

Tanquam elephante Coton formica uectus, ad imam
Paruus humum praeceps concidit, & perijt:
Ac moriens, cui nondum animi uoces'q; superbae
Conciderant; dixit: sic perijt Phaëton.

EPIT. FRANCISCI MARIAE MOLSAE.

Molsa iaces; tua fama uiget, tua scripta leguntur;
Felix, qui potuit uiuere post obitum.

DE SE IPSO.

ERGO rursus opus tendere ad horrida
Martis bella mihi, castra'q; Caesaris
Mota in Sequanicos rursus opus sequi?
Non fluctus libycos est rate naufraga
Euasisse satis? non satis est niues

Belgarum

Belgarum gelidas sub Ioue frigido
Pertransisse sagis sæpe rigentibus?
Quid nam cum lituo, quid mihi cum tuba?
Me dulces cytharæ, me faciles Lyræ
Raptent Aonidum per gelidum nemus:
Non aurum, nec opes alterius mihi
Auferre est animus, sanguine nec meos
Delectat gladios spargere, nec manus:
Hac laudes alij claraq; nomina
Acquirant sibi, nil inuideo quidem;
Famam Calliope debet enim mihi,
Quæ non bella colit, sed canit; attamen
Ibo, fata uocant quo mea; forsitan
In castris etiam magna aderit Dea,
Hic & facta canam Cæsaris inclyta.

DISTICON.

In patera cur pictus Amor? non ignibus ignis
Addendus; uino feruere corda sat est.

IN AVFIDVM BVBONEM.

Tu cui cognomen dirus dedit Aufide bubo,
Ni bubonis habes omnia dispeream:
Sic oculos, sic ora geris, sic luribus ungues,
Sic tua ferali carmina uoce canis:
Ne subeas mea tecta; mihi neu carmina cantes,
Né ue grauis mihi sis nuncius; omen habes:

Pergis adhuc? in te uolucrum genus omne ciebo;
Vt te sede mea pellat & aëria.

AD OCTAVIUM FARNESIUM.

QVID hic moraris Romuli magni nepos?
Quid Cæsaris gener struis?
Eia sequamur arma rursus martia,
Tuiq; castra Cæsaris:
Amœnitatem patriæ omnem & commoda
Contemne Farnesi, & fuge,
Nunc una sane cæteris rebus tibi
Est præferenda gloria;
Cui sanguis & uigor calet, cui feruidas
Lanugo serpit in genas:
Quid ocium, quid vmbra, quid iuuant lyræ,
Fama sine ulla & nomine?
Post bella depugnata, post fusas manus,
Et hostium Vrbes dirutas,
Bibendum, amandum, dandus & iocis locus,
Danda est laboribus quies.

AD CHRIST. MADRVCIVM CARD. TRIDENTINVM.

Madrucio dederat uiridi de fronde coronam
Clarus bello Athesis, clarus honore togæ:

Cum subito pater huic Tybris belloq́;,togáq;
Clarior, ornauit tempora mille rosis:
Fortunate Pater, certant cui tradere honores,
Extera cum patrijs numina numinibus.

AD OCTAVIVM FARNESIVM.

BOS iste toruus horridusq́; Farnesi
Qui ad te tuamq́; uentitat domum, & lautis
Accumbit epulis; more non opimorum
Boum, ore prono, cruribusq́; firmatis
Quæcunq; dantur attrahit, uorat, mandit,
Verum uorando & hauriendo desudans
Huc lumina, illuc latera torquet, huc ungues,
Fœdatq́; cuncta, cunctaq́; inquinat, semper
Immundus, obscœnusq́;, nec pudet quicquam.
Quin ille primam ubi expulit famem, buccis
Boat repletis, inq́; proximi pectus
Cuiusq; conuiuæ insolentius ructat,
Offasq́; iactat putrido ore semesas.
Et hæc uides; & fers? nec imperas trudi
Hanc belluam, diramq́; de domo pestem?
Sane, aut tibi est fugandus, e tuis tectis;
Aut nos molossum hunc, hunc lupũ, dracõnẽ, hircum,
Suemq́;, ne cyclopa, ne uocem Harpyiam,
Vitabimus, uiasq́; derelinquemus
Tam sumptuosas, tamq; dapsiles cœnas,
Contentus intra parietes suos quisq;
Nostrum male halante allioq́;,cæpáq;.

IN STELITVM.

Pallidus & macer es, ne cætera Stelite dicam;
Sis procul, à me absis; pallidus & macer es.

EPIT. FRANCISCI CARAFAE ARCHIEP. NEAPOLITANI.

Cum lacrimis sæua astra uoco, te nuper adempto,
Et tua cum lacrimis aspera fata queror:
Qui candore animi, & clara uirtute nitebas
Ante annos, annos ante, Carafa iaces.

AD MATRONAM FLVVIVM.

Matrona cuius habent ambas horrentia ripas
Arma, ruuntq; tuis agmina sæua uadis:
Qua sit iter duro ut possint decernere ferro,
Et fœdare tuas amne cruoris aquas:
Auge undas, maiorq; ueni de montibus, & fac
Cæsaris & Regis decidat ira tui:
Tunc eris, & Rhodano, es Ligeri, magnoq; Garumna
Clarior, una omnes & tibi thura dabunt.

EPIT. PATRIS.

Petre Pater male grata prius te fata tulerunt,
Quam mihi Dij dederunt posse redire domum:

Nec licuit manibus tua lumina claudere nostris,
Nec tumulum largis ponere cum lacrymis:
Felix qui longo potuit post tempore Vlysses
Ad patrios uiuo patre redire focos:
Me miserum, lustris qui quattuor erro; nec ulla est
Spes patriam, aut tumulum posse uidere patris.

AD TYBERIM FLVVIVM

Te ueneror uenerande pater Tyberine sub altis
Montibus, exiguo qua uehis amne caput:
Teq; sequor, cursumq; tuum, qui uiribus auctus,
Perpetuis Romam lambis amœnus aquis:
Da Romam & Paulum faciles mihi; bella tot annos
Gessimus effracti membra labore graui.
Et face, ut (ante alios quo te et tua numina adorem)
Altera delicias det mihi, & alter opes.

IN LAVDEM MARGARITAE AVSTRIAE FARNESIAE CAESARIS FILIAE DE ILLIVS CARPENTO.

Dicam equidem tibi qui nescis, cur mane tenebrae,
Cur medio regnent lumina clara die:
Aurato inuehitur curru, roseisq; quadrigis,
Austria, quae magni Martis in urbe dea est:

Inuidet huic Aurora, latet'q; pudet'q; uideri,
Pulcher Apollo oculos pascit amore nouo.

ALIVD.

Inuehitur Iuno pauonibus, alma columbis,
Cypria, uerum Aquilis Austria praepetibus:
Vt'q; aquilae cedit pauo, cedunt'q; columbae,
Austria, sic cedunt Iuno, Venus'q; tibi.

ALIVD.

Axem aquilae moderantur, equi capita alta ferentes
Temonem currus Austria magna tui:
Ergo cum libeat latis decurrere campis,
Cum libeat cursum tollere ad astra, tuum est.

ALIVD.

Quae modo tela Ioui uolucrum regina gerebat,
Nunc tibi, sed magno tu Ioue saeua magis:
Iupiter in turres torquebat fulmina & ornos;
Austria contra homines, & iacis illa Deos.

ALIVD.

Austria qui teneros depinxit pictor Amores,
Et qui Carpento florida serta tuo:
Stultus erat, nam tecum una uectantur Amores,
Erumpunt'q; rosae qua Dea carpis iter.

ALIVD.

P hœbus ut e cœlo conspexit Cæsare natum
Currentem, cursum sustinet ille suum:
E t miratus equos & equum spumantia fræna,
Loraq;, præcipites & leuitate rotas:
P ermutemus ait; nostros, precor, accipe currus,
Accipe, tuq; mihi da dea magna tuos.

IN PETRINVM EBRIVM AD BERNARDVM TASSVM.

V itaui (fateor) non fugi Tasse Petrinum;
Vinolentus erat, non uiolentus erat.

AD NICOLAVM ARDINGHELLVM CARDINALEM.

H unc fauor, hunc aurum, sors illum ad sydera cœli
Euehit, & superis æquat honore Deis:
T e uero cultæ tantum Ardinghelle Camœnæ
Ornarunt tyria matre manente toga:
F elix cui manibus uestis contexta Dearum est
Stamine purpureo, stamine perpetuo.

AD HIMERAM.

T e quicunq; uidet, felix, felicior ille est,
Cui tecum fas est dulcis Himera loqui:
Q ui uero te lætus amat; quater ille beatus,
Par Superis, tacita quem dea nocte foues.

DE NATALI CAROLI AVSTRIAE HISPANIARVM PRINCIPIS F. CAROLI CAES. NEP.

Qua nurus Augusti natum grauis edidit hora,
In medio cœli uertice Phœbus erat:
Et subito accurrit puerum studiosa uidendi
Nascentem placido cum Ioue diua Venus:
Ille igitur fœlix, uno cui tempore ab ortu
Certatim affulgent numina magna deum.

DE OBITV MARIAE EIVSDEM CAROLI MATRIS.

Cæsaris ut grauida natum nurus edidit aluo,
Emoritur, partus uicta dolore sui:
Improba mors; uerum magnis sine funere matrum,
Non datur in lucem surgere Cæsaribus.

DE NATALI DIE ALEXANDRI ET CAROLI GEMINORVM FARNESIORVM.

Vt geminos genuit natos grauis Austria, Tybris
Assurgens placido sic ait ore pater:
Roma olim auspicys geminorum condita, terris
Iura dedit, uictis ui tamen illa dedit:

N unc uero auspicijs horum maioribus aucta,
Sponte sua leges Orbis ab Vrbe petet.

DE VICTORIA ASCANII CORNIAE.

I ngentem, & paribus pugnantem cominus armis
Intrepidus Ianum strauerat Ascanius:
M ercurio cum Mars uidisti, dixit, iniqua
Quam pugna ualidum se gerat Ascanius?
H ic, alter cui deest oculis, fortem'q; , ferum'q;
Lustrantem'q; oculus omnia fundit humi:
T u calamo & cantu & medicatæ uerbere uirgæ,
Et somno oppressum deijcis ense caput:
N e te igitur posthac, ne te iacta amplius Argum
Obtruncasse; meo tu minor Ascanio es.

AD OCTAVIVM FARNESIVM.

D anubius postquam Tonouertæ mœnia uidit
Viribus Octaui Maxime capta tuis:
M œstus ait: cedamus, adest Germanicus alter,
Eriget hic nostro plura trophæa solo:
N osco animos, nosco Romanæ robora dextræ,
Ecce iterum Tybris tollet ad astra caput.

EPIT. ALFONSI AVALI VASTI PRINCIPIS.

Marmoribus mos est includere lumine cassos,
Nominaq; & titulos scribere marmoribus:
Vt quia dura nimis sunt marmora, corpora seruent
Clausa diu, & longo tempore duret honos:
At contra, saxum hoc manet, æternumq; manebit;
Auale magne tuum nam sibi nomen habet.

AD PAVLVM III. PONT. MAX.

SVNT & erunt alij plures ter quattuor anni
Queis capiti imposita est Paule corona tuo;
Prætteritos fateor superasti pluribus annis
Pontifices, annis sed superare parum est:
Non modo Pontifices, uerum immortalibus omnes
Augustos factis te superasse patet:
Et Deus es, diuumq; tibi largimur honores;
Non fas est annos enumerare deum.

DE MORTE CAII PVERI.

Lætitia cum plena forent, cantuq; theatra;
Ad ludos Caium ducit Elisa suum:
Dumq; sedent, ferus arma iacit vulcania miles;
Et pueri tenerum perforat igne caput:

Infelix mater, dulcem ad spectacula natum
Dum trahit, ad luctum traxit & ad tumulum.

DE HALETE ARMENIO SCHOENOBATE.

Armenium Haleten ad summi culmina templi
Per funem e medio uidimus ire foro:
Miremur semel aërium quod Dædalus olim
Carceris ut fugeret uincula, fecit iter?
Hales sponte sua, nullis circundatus alis,
Cœlum adit & celeri cursat ad astra pede:
Iure igitur propior Titan, audacia maior
Nullo unquam (dixit) tempore uisa mihi est.

EPIT. PETRI BEMBI CARD.

Ante alios quos terra dedit, quos Itala uirtus,
Aeterno Bembus dignus honore coli est:
Nam sanctæ seu mentis opes, seu candida puri
Spectes ingenij flumina, primus erat.

DE HIMERA.

Intentata mihi uia cum non ulla fuisset,
Qua possem Dominæ uincere duriciem.
Nec precibus, nec mista minus me dona iuuarent,
Effudi lacrimas illius ante pedes:

F regerunt lacrimæ duræ fera pectora Himeræ,
Et cessit lachrimis uicta puella meis.
I n solis igitur lacrimis spem ponite amantes;
In lacrimis ingens uisq; salusq; latet.

MARGARITA AVSTRIA
FARNESIA
CAESAREM
Patrem alloquitur.

M agne Pater, pictis celebro tua facta tabellis,
Do statuam, & titulis marmora parua tuis:
T e'q; ego qua possum uenetor pietate, uidemus
Nanq; coli modico munere sæpe deos.

IN FVNERE VICTORIAE
COLVMNAE.

T e licet innumeræ ornarint Victoria laudes,
Attamen ante alias, clarior una fuit:
T alia condebas nam carmina, qualia condunt
Ad sacra Permessi flumina Pierides:
Q uin Dea Musarum mater mirata leporem,
Hanc etiam (dixit) me peperisse uelim.

AENIGMA AD ROMVLVM AMASENVM.

Quatuor exanimes inter se dura gerebant
  Calcibus & cubitis praelia, non manibus:
Nanq; manus cunctis fuerant post terga reuinctae,
  Ne fuge, ne ride Romule, uera loquor:
Sacrilegos Praetor suspenderat arbore in una,
  Ventus erat, uento quisq; agitatus erat.

AD PAVLVM. III. PONT. MAX.

Magne Pater teneri tibi tam arrisere Gemelli,
  Strinxerit ut sacrum pectus uterq; tuum:
Quid facerent si posse loqui concederet aetas?
  Imbuerent proaui corda lepore nouo:
Viue igitur, lepidis mox te & tua pectora uerbis
  Mulcebunt'q; aures garrulitate tuas:
Quin breue tempus erit, quo te admirante, camoenis
  Certabunt nomen tollere ad astra tuum:
Paule tuum numen potius: facta optima norit
  Qui tua, te terris quis neget esse Deum?

IN MALEDICVM.

Tu qui trientis unius carmen meum
  Vix aestimas, unoq; plus seclo putas

V ix posse uiuere, rudis a` me discito,
M e te tuaq; facere ne quidem pili.
O pes domosq;, prædiaq; & aurum tuum;
Excors Asellus fila nil curat lyræ,
A mica cœno sus smaragdos despicit;
T ua corruent palatia & turres cadent,
M onumenta non mea quæ relinquo posteris.
Vita miserrime ante lethum tu cares;
I pse ego, etiam post fata te inuito ultima
V iuam, meusq; uiuet æternus labor.

AD PYRAMVM.

P yrame si tantum paries obstabat amori,
Cur non arte tibi peruius ille fuit:
T ysbe siste pedem; demens te perdit amator;
In sæuas mittit te ferus ille feras:
P yrame monstrat iter tibi stulte Cuniculus; absit
Ah miseram, a` Thysbe torua Leæna tua.

IN EFFIGIEM HIMERAE AD AVGVSTVM COCCEIANVM.

IVSSV Auguste meo meos amores
V mber tam bene pinxit Hadrianus,
V t me muneribus suis bearit.
Mihi tantum erat una Himera nuper,

Nec semper cupido frui licebat;
Nunc est altera munere Hadriani,
Viua, & pulchra manus, genas, comas'q;,
Formam'q; alterius ferens decus'q;:
Quæ noctes hilari dies'q; uultu
Mecum ducit, & assidet loquenti,
Cui do basia, basiationes
Danti arridet, & accubat cubanti.
Quare me nimis & nimis fatendum
Debere artifici pio probo'q;;
Nunc sum ditior, una Himera deerit
Si quando mihi, ad alteram recurram.

76

FRANCISCI FRANCHINI COSENTINI EPIGRAMMATVM

LIBER QVARTVS.

AD PAVLVM · III · PONT · MAX ·

PAVLE *per undosum non paruo tempore pontum,*
P *Diuina æternam qui regis arte raté:*
Tolle animos, de tot remis inopina carinæ
Vnum tempestas abstulit una tuæ:
Vtere in aduersis Romano pectore rebus,
Hæc uirtute tua est uis superanda maris:
Inuito attinges uentorum turbine portum;
Quisq; tuo uectus numine, sospes erit:
O` quæ magna manet laudum te gloria, quantas
Quot'ue tibi statuas littora læta dabunt.

EPIT · SCVRRAE ·

Asper & immitis Pluto, semperq; seuerus,
Vt te Morphe suas uidit adisse domos:
Risit, & inquit; ades, sis aulæ scurra silentum;
Deerat adhuc Regnis tu nisi, nemo meis.

F

AD ALEX. FARNESIVM CARDINALEM.

P ublica qui curas, & fratrum facta tuorum,
vlla nec est uitæ parcere cura tuæ;
P erge, age, & afflictis propera succurrere rebus,
Euersoq; orbi prouidus affer opem:
M aior eris, nec te fratres, & patria tantum;
Sed canet omnis ouans Itala terra patrem.

DE VICTORIA MARII ABENANTIS.

I mpellit natum genitor generosus in hostem,
vtq; pari mandat prælia Marte gerat:
I ussa facit patris Marius, pugnauit, & hostem
Strauit humi rigido strenuus ense puer:
H inc ensem hostili stillantem sanguine patri
Misit, & hoc hostis, dicite, dixit, obit:
E lato pater ense heros Abenantius, unum
Nate quod optabam das mihi munus, ait.

DE CONNVBIO VICTORIAE FARNESIAE.

Q uam Roma ante alias gaudet peperisse puellas;
Virgo datur Regi magne Metaure tuo:

R omanumq́; tenet nomen victoria, uincit
Quæ forma venerem, Pallada consilio:
I lle igitur felix coniux, victoria semper
C ui fauet, & semper quem dea magna fouet.

AD OCTAVIVM FARNESIVM. DE EIVS NATALI DIE.

T e nascente tuas mitissimus anguis in ædes
Serpsit, & incoluit limina lustra duo:
D onec Auus sacra scœptra tuus, triplicemq́; coronam
Gessit, par superis Paulus honore deis:
H inc abijt, nec uisus eo post tempore cuiquam est;
Innuat Octaui quid bonus anguis, habe:
A ffuit ille tuæ custos pro tempore uitæ,
Pontifici curam deinde reliquit Auo:
V iue igitur felix: multos regnare per annos
Vt dedit anguis, Auus sic tibi regna dabit.

AD ANT. FRANC. RAINERIVM DE LEGIBVS NVPTIALIBVS.

Q VIS ò quis author primus extitit legum
D urissimarum nuptialium? primus
Q uis tam seuerus lator? ille uesanus
F uitq́; prorsus ante cæteros demens:
Non constitutæ sunt eæ quidem recte,

F eliæm oportebat hominem Raineri
Q uamplurimas habere coniuges posse,
E xpellere ut malam, e, suis foras tectis,
T enere uero prouidus bonam posset.
Nunc quando ad unam res redacta sit tantum,
V iri periclitantur admodum; Vxorem
C um quisq; passim ducat, inscius morum;
Præstent uide quàm Barbari, quod his plures
S int coniuges; hæ semper inuicem certant
V iro placere & obsequi, atq; honestate
P ræstare, uir dominatur, imperat'q; unus
N ullo labore vxoribus licet centum.

AD HIMERAM.

Vt surgens Aurora sanet mortalibus ægris;
Sic mihi fulsit Amor primus Himera tuus:
V tq; die torret medio sol igneus Orbem;
Sic mea nunc sæuus pectora torret amor:
V t demum extinguit rapidos nox atra calores;
Sic fera mors ignes auferet una meos.

AD RANVTVM FARNESIVM CARDINALEM.

C ui datur ante annos clara uirtute nitere
Ranute, ante annos purpura iure datur.

IN PYRENEN MENDACEM.

Quis furor hic? quæ mens agitat te dira Pyrene,
Vt non ulli unquam dicere uera uelis?
Tam tibi sunt cordi mendacia, tanta uoluptas
Fallendi? tam te uerba dedisse iuuat?
Crede mihi, scelus hoc maius quàm perdere ferro
Corpora, & è templis tollere sacra Deum:
Perge, age, falle fidem: manibus post terga reuinctis
Carnifici celsa de trabe uera canes.

DE TRIBVS PVLCHERRIMIS PVELLIS ROMANIS.

Vno eodem'q; die tres conuenere puellæ,
Formosæ ante alias quas Tyberinus habet:
Fit Laterane tuas iuuenum concursus ad ædes,
Et stupet, & dicit nomine quisq; deas:
Visa fuit multis Iuno Lauinia, Pallas
Liuia, non paucis Claudia uisa Venus:
Tunc Tybris, procul hinc dixit Paris absit, et Iris,
Hæ sunt præstanti corpore tres Charites.

ALIVD.

De forma certamen habent Lauinia magnum,
Claudia'q;, & claris Liuia diues auis:

Nec Paris ullus adest, diras componere lites
Qui ualeat, sæuas & prohibere manus:
Huc ades Octaui, & uestem deponere manda;
Iudicio tradent corpora nuda tuo:
Iam dices: utranq; deam Lauinia uincis,
Quin ipsam uincis (iudice me) venerem.

AD SCIPIONEM VRSINVM.

Quem genus & uirtus & candida pectora reddunt
Pene parem Superis Scipio magne deis:
Ne demitte animos, quamuis Fortuna tot annos
Improba fallaci fronte nouerca tibi est:
I, contra; facile hanc præsens audacia uincit,
victaq;, post duplici munere larga fauet:
Nec famam interea cesses extendere factis;
Ius habet in cæcam Fama superba deam.

DE DISCESSV LIVIAE AB VRBE.

Quæritis unde cadant alieno tempore nimbi,
Vnde tot effusis Roma redundet aquis?
Liuia discessit, collesq; superba Quirini
Liquit, amatorum cura nec ulla subit:
Hinc lacrimæ, et luctus, miserorum et fletus amantũ,
Demergunt toties vrbis utrunq; forum:

Quin ego perpetuam timeo per secula noctem,
Secum etenim dirrus Liuia Solis habet.

AD OCTAVIVM FARNESIVM.

Gratulor Octaui uexilla calentibus aris
Pontificem manibus sacra dedisse tuis:
Nunc se Relligio duce te diffundet in Orbem,
Et dabitur templis omnibus ara Deo:
Auspicijs nam uicta tuis & fortibus armis,
Accipiet ritus barbara terra pios:
Auguror, & uideo iam te & tua facta, tuumq;
Nomen ab æterna posteritate coli.

EPIT. PENELOPES Meretriculæ.

Penelopes tumulum, fractosq; Cupidinis arcus,
Extinctasq; faces aspice, quisquis ades:
Et lacrima, lacrimis extinctæ tristibus ornant
Et Venus, & Charites funera Penelopes.

DE POLLVCE.

Immensas tolerare moras valleïa virgo
Cum non posset amans, fugit ab vrbe tua:
Verum ubi per nemora & ualles, et littora, et amnis
Errantem nusquam deseruisset Amor:
Auræ ait, o uolucres ferte hæc suspiria Romam,
Et miserum in dura dicite valle mori.

AD PAVLVM . III .
PONT . MAX .

Esse Equitum in numero decreui, & soluimus aurū,
Quod solet è medio soluere quisq; foro :
Verum etiam quod componam mihi poscitur auri
Nescio quid; testor numina ; non habeo :
Hoc concede precor, ne ue hoc precor exige ; laudes
Nanq; ego componam Maxime Paule tuas.

POLLVX LOQVITVR.

Quæ mihi luce magis cara est Lauinia Virgo,
Quiq; meæ est animæ dimidium Ascanius :
Crudeles uno miserum me tempore linquunt;
Hic ueteres Pyrgos, Tybur at illa petit:
Si cupidus sequar hanc, anima priuabor, at ipsis
Luminibus, fratrem si sequar Ascanium:
Quid faciam, ignoro; cito Dij ni redditis ambos;
Cæcus ero (uestrum crimen) & exanimis.

IN FANNIAM LAELIVS
Loquitur.

Abs te ego cum solum me Fannia rebar amari,
In te (crede mihi) feruidus ignis erat:
Ast alios etiam postquam bibis improba amores;
Pectora sunt glacie frigidiora mihi:

Ergo uale; nunc uiue tuis cum perfida mœchis;
Non deerit niuea culta puella fide.

AD ALEX. FARNESIVM CARDINALEM.

Edideris titulo cum tam memorabile saxum,
Quod celebri obruerat uasta ruina loco:
Lætitia exultat Farnesi Maxime Tybris,
Cui faustum est omen uisus habere lapis:
Nam patriæ & latio dum barbarus imminet hostis,
Grande triumphati detegis Orbis opus.

DE NATALI FRANC. MARIAE GVIG. BALDI DVCIS VRBINI FILII.

Omnibus optatum uotis Victoria natum
Tegmine sub magni roboris ediderat:
Cum se se Adriacis tollens Neptunus ab undis,
Sic canit ad ripas flaue Pisaure tuas:
Felix ille puer, cuius Victoria mater,
Et tegit à cunis querna corona caput.

LAVRVS LOQVITVR.

Ne pete me saxis, mihi ne molire bipennem
Villice, sum clario Laurus amata Deo:

I, fagum, aut ulmum, aut laricẽ succide, uel ornum;
A' lauro abstineas usq; uirente manum:
I nuictis Ducibus semper, sacrisq; Poëtis,
E' celebri nostra fronde corona datur.

DE INTERITV AEMILIAE.

V ulneribus frater grauibus triginta sororem
Incestam Fabius perdidit AEmiliam:
D umq; ferit, dic eia inquit, dic, improba, amantum,
An tibi sunt fratrum uulnera cara magis?
I llã, age, saeui, exclamat; si me extinguis, amores
Extinxisse meos non potes, & cecidit.

AD GVID. ASCANIVM SFORTIAM CARDINALEM.

L audibus egregijs excellis Sfortia, praestas
Ingenio, es clarus sanguine, diues opum:
N on tamen ista mouent tàm me, quàm conscia recti
Mens animi, & candor pectoris iste tui:
Adde, adeo facilem & placidum te Sfortia praebes;
vt mihi sis sacro dignus honore coli.

DE PARIDE ET CLYTIA.

P ro domina dum Marte pari Paris imminet hosti,
Saucius infesto uulnere forte cadit:

E xtemplo Glytiæ periſſe refertur amantem,
Credula quæ, cecidit protinus exanimis:
I nterea ſe ſe Paris erigit acrior, & mox
Lethali Tatium uulnere fundit humi:
H inc uictor, Clytiam petit, extinctaq; reperta;
Se ſe quo Tatium foderat, enſe fodit:
A cer Amor, quis caſtra colat poſt hac tua? qui das
Talia ſæue tuis præmia militibus.

AD SALVIVM FRANCHINVM FRATREM.

GERMANE poſtquam ducta coniux eſt tibi
V irgo, educata liberaliter domi;
I ngenua, claris & parentibus ſata,
H anc eſt opus ſeruare certo fœdere,
E t ſcire oportet, laxiores non dare,
N ec ualde habenas premere: magna arte eſt opus.
Nanq; ut cauendum ne poteſtas fœminis
I re, & redire, & agere ſit quicquid uelint;
S ic has in ædium ultimas detrudere
P artes, fuge, & dura abdere in conclauia:
O ptant enim intueri earum lumina
R es exteras, & quæ foris ſunt, & nouas.
Quod ſi puella in his bene et quantum eſt ſatis,
V erſabitur paſcens ocellos lubricos,
P rofecto ab omni liberatur impetu;
N anq, & mares uidere ſemper appetunt,

Inuisa, quaeq; rara sunt & quae latent.
Mea quidem sententia, quisquis fores
A mbobus usq; pessulis claudit, suam
E t ferreis custodit Vxorem seris;
D um uult haberi cautus, & prudens, probe
I nsanus est, & stultus, & nihil sapit,
Foras abire si qua mulier ardet, heu
A bit sagitta protinus uelocior,
N ec contineri uinculis ullis potest;
V sq; adeo ut Argum fallat haec facillime;
H abetur unde praeter immensum malum,
V ir maximo despectui & ludibrio,
A mboq; uiuunt in querelis asperis,
R ixisq;, iurgijsq;, & horridis minis,
V itamq; tandem finiunt miserrimam.

AD BER. MAFFEVM CARD.

Q uo tua purpureo cinguntur tempora serto,
Me Maffee tenet febris iniqua die:
P hoebe faue, da posse toro me auferre molesto,
Ornatumq; rosis cernere posse caput:
D ebita cum sacrae dedero dextrae oscula; templis
Oscula sacratis & dabo thura tuis.

MARS LOQVITVR.

Q uae spolia haec? haec arma rudis male grata dicauit
Q uis mihi, non templis munera digna meis?

Hasta leuis, galeæ intactæ, scuta integra, thorax
Illæsus, late lucida cuncta nitent:
Tollite, & his thalamos armis ornate iugales,
Tecta uel imbellis desidiosa uiri:
Fractæ hastæ, fossæ galeæ, scuta aspera ferro,
Et figenda meis arma cruenta tholis.

DE HIMERA.

Pectora nuda meæ postquam conspexit Himeræ,
Cum Iunone Iouis uertice nata Dea:
Ne nudemur, ait, Paridis sententia nota est;
Vinci rursus, erit turpius opprobrium.

DE MARGARITA AVSTRIA FARNESIA.

Austria habet Veneris formam, mentemq; Mineruæ,
Non habet hæc Iuno regna minora tuis:
Cede igitur, cedat Venus, & tu cede Minerua,
Austria sola, tribus quæ tria dantur, habet.

EPIT. SCEPTICI GRAMMATICI.

Grammatican docuit, gelida qui clauditur urna;
Quodq; fuit mirum, Scepticus auxit opes.

AD ALEXANDRVM RVFINVM.

Terrarum loca pulchra colant licet omnia, nostris
Non tamen apparent Numina luminibus:
Sed Dea, quae latijs praestat Lauinia Nymphis,
Hic tuus ostendit quàm sit amoenus ager:
Nanq; tuis se se campis dedit illa uidendam,
Et Rufine tua est uisa per arua loqui:
Fons igitur felix, ramiq;, herbaeq; beatae,
Quos pedibus, digitis, attigit ore Dea.

DE CERBERO ET TIGRE MARMOREIS IN HORTIS STEPHANI BVBALI.

Hostis abi, succede hospes, ferus ore trifauci
Hostibus, est mitis Cerberus hospitibus.

ALIVD.

Squamosi Hesperidum seruabant poma Dracones,
Haec rapidae Tigres: quisquis es hostis, abi.

IN TVMVLVM CAROLI FARNESII.

Abstulit ante diem puerum me ferrea Clotho,
Ne mea fle mater funera, ne'ue pater:

Vita breuis, uitasse dedit me incommoda uitæ,
Nec tulit esse meis crimina pectoribus.

ALIVD.

Terra uale, Lucina uale, per uestra cucurri
Vix stadium tenero dulcia prata pede:
Altera me superas in luminis edidit horas,
Altera nostra leui pondere membra tegit.

ALIVD.

Qui uix ortus obit, uix annum Carole uixit,
Non dat nate patri gaudia, sed lacrimas.

DE HIMERA.

Sponte sua aurato nuper donauit Himera
Me calamo, & iussit scire quid ille uelit:
Aureus & pulcher calamus quid poscat Himera
Scimus, & utemur quam petit ille, manu:
Non ego describam hoc laudes Regum'ue Ducum'ue;
Describam hoc laudes aurea Himera tuas.

DE ASCANIO.

Musarum puer Ascanius dum seruat amicum,
Accipit aduerso uulnus in ore canum:

Purpuream'q; animam dum misto sanguine fundit,
Adfuit extemplo Phœbus, opem'q; tulit:
Et dixit: mors atra rudes, mors tollat inertes,
Fortis uiue puer, uiue diserte puer.

EPIT. PAVLI III. PONT. MAX.

Qui rem Romanam, Diuinam'q; auxit, & Orbem
Composuit pacis fœdere, Paulus obit.

AD TVLLVM.

Nunquam uisa tibi, nubit tibi Tulle puella;
Cui sub nube caua nupta datur, miser est.

AD COLLEGIVM CARDINALIVM.

O' quos una diu clauis durissima claudit,
Nec stolidum in septis ut pecus esse pudet:
Quid struitis? cur Rex hominum, Diuum'q; Sacerdos
Non datur? eximium quæ mora tardat opus?
Ingenui postquam rupistis claustra pudoris,
Non iam claue opus est, claua opus herculea est.

AD REGINALDVM POLVM BRITANNVM CARD.

Quod data non fuerit rerum tibi summa potestas
Pole, nec ornarit sacra corona caput:

Crede

C rede mihi, laudum nulla est iactura tuarum
Nec quicquam decoris dempsit iniqua tui:
P ublica sed nostro fuit hæc iniuria damno;
Tu regere imperio dignus es astra poli.

IN DONATVM.

O blongis paucisq; pilis cui turpiter hirtum
Mentum erat, imberbi Barbula nomen erat:
C ui frons lata nimis, Frontonis nomen habebat;
Dentati; cui dens magnus, & asper erat:
T e uero Donate, cui latissima frons est,
Immensi dentes, quinq; sub ore pili:
N escio quo dicam cognomine, conuenit ultro
Dentatus, quadrat Barbula, Fronto decet.

AD MARCELLVM CERVINVM CARDINALEM.

CERVINE si quo dignus es solio Patres
T e non locarunt, nec corona quam suo
T ua iure uirtus postulat sacrum caput
C inxere; non iniuria factum est tua;
S ed perditorum temporum & mortalium.
Se Consulatu præbuit dignum Cato,
C atonis ante cæteras Statua in foro
P oni merebat omnium sententia.
Cumq; ille non honore fuerit fascium

N eq; statua donatus; optimi tamen
O mnes bonos mouebat & passim probos
A uthoritas & magna Maiestas uiri.

AD IVLIVM. III. PONT. MAX.

Q uæ mihi Magne Pater florentia serta dedisti,
In me clara animi signa fuere tui:
I lla loco duxi uiridantis dona Coronæ,
Quæ mihi perpetuò cingat honore caput:
A st ego decerpam Parnassi in uertice flores,
Et tu sæpe meo munere lætus eris.

AD ALEX. RVFINVM.

Q ui colis effigies ueterum Rufine uirorum,
Dignus ab æterna es posteritate coli.

AD IVLIVM. III. PONT. MAX.

A ugusti festas hilari quod fronte Calendas,
Farnesijs celebres ædibus alme pater;
A rrident tibi tecta, tibi gestire uidentur
Lætitia tanto limina amata Deo:
V tq; colis tu Farnesias Iuli Optime sedes,
Sic & Farnesium te genus omne colit.

AD GALATEVM FLORIMONTIVM. EPISCOPVM.

Censoris postquam rigidi Galatee seuerum
Vsurpasse tibi nomen, opus'q; licet:
Te meliora aliqui sunt obiurgante secuti,
Et multi monitis erubuere tuis:
Ast omnes quoniam uitijs urgemur, amici
Cur non exequeris tu bona dicta tui?
Aut alios igitur reprehendere desine Censor,
Aut fac quae te alij saepe monenda monent.

AD RANVTVM FARNESIVM CARDINALEM.

Non duce te remeasse domum, taedet'q;, pudet'q;,
Vis cito me curis soluere? mane ueni.

ALIVD.

Durum iter et uia longa mihi est sine te duce; uerum
Incolumis uenias tu modo, triste nihil.

AD HIERONYMVM CORREGIVM.

Tu qui pene mihi par es pinguedine & annis,
Qui permutatis tam male curris equis:

Dic, calido quantus manat de pectore sudor?
Dic, tua quam torret guttura anhela sitis?
Dic, age, quo testes se se occuluere sub antro?
Qua caput abiectum ualle priapus habet?
Stultitia est, possis cum dulcia commoda uitae
Carpere, malle pati frigora, malle famem.

EPIT. SYLVESTRI LVCARELLI CAMERTIS.

Syluester syluestris erat non corpore tantum,
Verum animo incultus, moribus asper erat:
Humano generi, superis'q; inuisus, habebat
Obsita spinosis pectora criminibus:
Alter huic oculus deerat suffossus, at alter
Tendebat tacitis spicula certa dolis:
Laeti igitur lusci letho, accinere Camertes;
Publica Erynnis obit, publica pestis obit.

DE STELLA GRAMMATICO.

Stella tibi in manibus: Musarum templa subire
Quid dubitas? Stella si duce lumen habes?

IN THEOPHILVM.

Si spectanda tui scelerate Theophile uis est
Nominis, ipse Deo perfide carus eras:

S ed quem homines odere omnes, quē Roma cauebat,
Hunc odio magnus & reor esse Deis.

ALIVD.

T artara ubi intrauit tenebrosa Teophilus, ut q;
Constitit ante nigri pectora Ditis, ait:
N omine amator eram (fateor) Iouis, at meus ò Rex
Scis tu scis fuerim quàm tuus ex animo.

ALIVD.

A d stygios postquam te torue Theophile sensit
Aduenisse lacus pallida Tisiphone:
A Plutone frui petijt te posse marito;
Traderis, & coniux par tibi iure datur:
G aude igitur, sic torua coit Panthera Leoni,
Sic Lynx saeua Lupo, sic Lupa foeda Cani.

ALIVD.

V T attigit Theophilus domos Ditis,
R epente rumor inter inferos magnus
T errore plenus ortus est, & it fama
N ouum hospitem aduenisse, iudicem longe
M inoë, Radamantho, Aeacoq; peiorem;
I niquus ut qui semper & uir immanis
N il pectore unquam indicarit integro;
C oncurritur, uisaq; fronte frendentis
T heophili, facieq; subnigra & tetra;
C eruiceq; obstipa hominis, & minis pleno

T orvoq; uultu, exhorruere cunctorum
M alæ silentum pallidæ supra morem;
S ummoq; cum pauore, cum graui planctu,
V na omnium uoce est auerna per stagna
C lamor datus: Iam nulla spes, nihil nobis
P ræter dolorem, lacrimasq; sperandum.

AD CORIOL. MARTIRIANUM EPISCOPUM DE FERA POETA.

M artiriane quis hic fera? qua se se tulit? unde
Hoc monstrum nostrum uenit in exitium?
H ic postquam Musas rabidam iactauit in aluum,
Pimpleumq; nemus, Pieriosq; lacus:
N e rogo, se Romam permittite conferat; haustu
Septem uno colles auferet, & Tyberim.

AD HIMERAM.

Q uacunq; incedis passim pulcherrima Himera,
In te oculos hominum uertis & ora deum:
I lle hominum uero & lætissimus ille deorum est,
Tu semel in quo oculos figis Himera tuos.

IN SUPPARUM SENEM.

C ur ego conueniam non te, persæpe requiris;
In causa duo sunt Suppare quæ prohibent:

Quamprimum accedo, tremula mihi fronte minaris,
Tetræ animæ fætor me fugat iste tuæ.

AD ANTONIVM VACCAM.

Omnibus est uxor de more molesta maritis,
Non tamen in thalamo Vacca nec in tumulo.

AD GABRIELEM FAERNVM.

POSTQVAM *bella tument, nec ulla lætæ*
Spes pacis datur, impiusq; Mauors
Toto sæuit in Orbe, & arma miscet,
Terris tristia luctuosa ponto;
Quid tandem mihi sit Faërne agendum
Prorsus nescio; Cæsaris ne castra
An ne Farnesias sequar cohortes;
Ceruici galeam induens comantem.
Qui ius in me habeat meosq; summum;
Est Cæsar mihi summus Imperator,
A quo deficere impium, nefasq;:
Gens Farnesia, & ille Paulus, ille
Qui nunc cum superis beatiorem
Vitam ducit, & assidet Tonanti,
Mihi munera multa contulerunt.
Quo me (nescio) conferam; sacratum
Nisi ad Pieridum pios recessus,
Curarum simul, & simul laborum

M aestis mentibus unicum leuamen:
Ad te confugio, mihi'q; certum est
T ecum uiuere, dum furit ferus Mars,
T u'q; me allice, me'q; tolle tecum
I ucundissime mi Faërne, fontis
D uc me per gelidas perennis undas
C lari dulcia per uireta Pindi,
E t solare inopem tuis Camoenis.

DE IOANNE HIER.
MORONO.
CARDINALE.

E xpediam paruo Moroni carmine laudes:
Ante annos Regum sceptra decus'q; meret.

DE HORATIO FARNESIO.

FARNESIO tacitas pedites'q; equites'q; pararant
In tribus insidias nocte silente locis:
P er medios expers terroris Horatius hostes
Fert iter, atq; alio tendere calle negat:
P rimus equo oppositos hasta'q; inuadit, & urget,
Perrumpit'q; acies strenuus ense puer:
P raefecto dextram congressus demetit, & bis
Ter'q; cruentatis dissipat ora genis:
I, decus, i, clarum Martis genus, erige Romam,
Roma iterum terris te duce iura dabit.

AD ISABELLAM LVNAM.

S cortorum Regina, soror, coniuxq; Priapi,
Luna suburrani gloria prima chori;
N on se Pantha tibi, non se tibi comparet Anna;
Nam ueteres anteis Thaidas & Glyceras:
T u pulchra es, tu diues opum, tu diues auorum;
Docta lyram, & molles docta mouere nates;

AD BASILIVM ZANCHIVM DE ORTV CANICVLAE.

ZANCHI Pieridum decus,
Zanchi plus animae dimidio meae.
O rta insana Canicula est,
Non ardore alio quàm solet ignea,
F ormidabilis omnibus,
Ob uim diram animae pestiferae insitam:
A duentu sitiens suo,
Fontes siccat atrox & caua flumina;
F indit marmoreas ferox
Horrendis statuas acta caloribus;
H inc tu collige, corpora
Q uantum nostra premat, quam male decoquat:
V itanda est, adeunda sunt
Fontis perspicui garrula murmura,
V mbrae auris crepitantibus
Captandae nemorum, frondiferum cauae,

Dulci non sine tibia,
 Non absq; Aonidum carminibus sacris,
Et Chij ueteris cado:
 An nescis spacio temporis, æstifer
Quo terris canis ingruit,
 Nostros in rabiem semper agi canes?
Flustu stagna tumescere,
 Fluctus uina cauis tollere in amphoris;
Et ponti æquora feruere?
 Quod ni tabificos arte cauebimus
Morsus Icarij canis,
 Ni raucas gelidi mecum Anienis ad
Vndas, Tibur & algidum
 Zanchi cras celeri te pede conferes;
Heu te Sirius opprimet,
 Heu te letiferis perdet hiatibus.

IN NVPTIAS HORATII FARNESII.

Mars ubi cum Gallis Romanam iungere pubem
 Perpetuo uidit fœdera coniugio;
Lætatus dulci gens una atq; altera bellis
 Aspera, se uinclo quam bene iungit, ait:
Hinc socer Alpinis, e, rupibus, irruet illinc
 E, Capitolina se feret arce gener:
Et duce me, cædem ingentem stragem'q; ciebit
 Alter in Eoos, alter in Hesperios!

AD TVLLVM VETEREM.

Tulle Veter, ueteres, causasq; egisse diserte
Diceris, & rauco consenuisse foro:
In rem saepe tuam si lites uertis (ut aiunt)
Non mihi Tulle Veter, sed Veterator eris.

DE SVO AB VRBE DISCESSV.

Non ego dem lacrimas, lacrimarũ et flumina fundã,
Non ego cum lacrimis tristia fata querar?
Impia me amplexu potuere auellere Himerae,
Inuictum poterat quae retinere Iouem:
Sed siue ad Morinos, seu Dacos aspera trudent,
Vsq; erit in Dacis mecum amor, & Morinis:
Tuq; meum numen mea fata immania rumpes,
Nanq; etiam Fatis tu dare iura potes.

DE GVILLELMO SIRLETO ET MARINO SOLIMA.

Sirletum & Solimam latiae duo lumina linguae,
Quos foecunda uiris Brucia terra tulit:
Iure ego non patriae tantum, sed honore uirorum
Virtutumq; sacro numine tactus, amo:
Nec quicquam debere meo fateantur amori,
Vt decet, ut merito cogor, utrunq; colo.

DE SE IPSO.

Non procul, a, Scylla, non longe ab rupe Charybdis
Inclyta sunt curæ tradita templa meæ:
Nos templi curam gerimus, temploq; sacramus,
Et damus accensis thura sabæa focis:
Sed mihi quæ pascunt terentum in montibus agnæ,
Abstractæ pereunt ore frемente canum:
Dij templo mi fertis opem; ne uasta Charybdis
Euincat (uereor) ne fera Scylla deos.

AD IOANNEM PETRVM CARAFAM CARD.

Nostri Carafa seculi magnum decus,
Quem quisq; uir mortalium probus colit,
Cauet malus timore perculsus graui;
Dij te (rogo) mortalibus seruent diu,
Ad afferendam gentibus pressis opem,
Et erigenda templa quæ passim cadunt.
O, quæ deorum Fana formam in pristinam
Redacta, & aris aucta duce te pluribus
Solennibus'q; cerne, quos & Italam
Gentem triumphos agere uictis Barbaris.

FRANCISCI FRANCHINI COSENTINI EPIGRAMMATVM

LIBER QVINTVS.

DE LIVIA COLVMNA OCVLIS CAPTA.

Gestabat sine luce faces fractasq; sagittas
Mœstus Amor: cur hoc? obuia mater ait:
Cui puer: alma parens mihi cum de more libebat
Vrere mortales, urere cælicolas,
Vnius ex oculis accendere utrasq; solebam
Lampadas, & certa tendere tela manu:
Nunc quoniam capta est oculis mea Liuia, uis est
Ignibus, & calamis omnis adempta meis.

ALIVD.

Ardentes animæ quæ castra Erycina tenetis,
Lugete, & madidos imbre rigate sinus:
Quis teneat lacrimas? oculis nunc Liuia capta est,
Queis homines, & queis ceperat illa deos.

ALIVD.

Vt nox nube caua texit tua lumina; ducens
Ex imo gemitum pectore, dixit Amor:

Sola meæ uires, mea gloria Liuia, pulchris
Pulchra oculis, orba est? orbus & Orbis erit.

ALIVD.

Flebat Amor, flebat'q; venus, lacrimas'q; ciebant;
Cum quæ sit luctus causa, Minerua rogat:
Tu quoq; fle mecum soror, & uos flete Camœnæ,
Et cultæ Charites, aurea Cypris ait:
Quæ nostrum decus in terris, quæ nostra manebat
Gloria, nunc capta est Liuia luminibus.

ALIVD.

Ante alias forma pulcherrima Liuia Nymphas;
Ipsa est in terris insidiosa venus:
Quod sit capta oculis, caueat sibi quisq; Cupido
Cæcus erat tantum, nunc quoq; cæca venus.

ALIVD.

Mos duci canibus cæcos per strata uiarum est,
Cumq; oculis nuper Liuia capta foret;
Est data languenti melitæa Catella puellæ;
Omine quæ tristi tacta, repente refert:
Quam bene conueniunt nostræ tua munera uitæ,
Iam cane cæcæ opus est Didace, grata canis.

ALIVD.

Ter tibi dum uenas ferit ægra Columna Machaon,
Sanguinis & riui fluminis instar eunt:
Quid facis? exclamat uultu pallente Cupido,
Siste manum, non est Iphigenia, Dea est.

DE LVCE EIVSDEM OCV- LIS RESTITVTA.

Læta erat ut sensit tua lumina mater Eoi
Memnonis obscura Liuia nocte premi:
Non tulit inuidia flagrantem Phœbus, ocellis
Nam medica lucem reddidit arte tuis:
Atq; ait: una diem mihi Liuia nunciet, una
Qua sit iter nostris Liuia monstret equis.

ALIVD.

Improbe Amor, tu lucis egens orbasse putabas
Ipsam etiam matrem? falleris, ecce uidet.

ALIVD.

Quicquid tibi, tuis'q; ocellis uidimus
Mali accidisse, ne Deorum aut ætheris
Ira fuisse, suspicari te uelim
Columna nostri seculi, clarum decus.

Te curua Pronome, edentula & procax, Male
Ventana uetula fascinauit, ut genas
Tuas, tuaq; frontis aspexit iubar,
Ipsaq; forma te anteire Naiadas.
Quin saga, ut oculos habuit in suis tuos
Cœli quidem syderibus aureis pares,
Repente reddidit hebetes uenefica.
Quod nube nunc abeunte, lumen lumina
Suum resumant, effici scito mea
Prorsus opera, nam pessimæ, ni fascinum,
Horrenda ni mox destruat cantamina,
Interminatus cum securibus feris,
Fascesq;, fustesq;, horridamq; sum necem.
Hinc me daturum protinus te sospite
Pollicitus equidem aranda ad eius uiscera,
Suffarcinatæ sum pedale fascinum.
Scelesta turpi cum cachinno tussiens,
Erexit ad uerba tremulum statim caput,
Et spem futuræ lucis annuens dedit.

AD ALEX. CAMPEGIVM CARDINALEM.

Et labor & uirtus, & doctæ gloria linguæ,
Et niuei candor pectoris ille tui:
Dant tibi Alexander populis plaudentibus, & Dys,
Purpureos cultus, purpureumq; decus:
Felix ille, alys alta ad fastigia rerum
Qui recto qua sit tramite monstrat iter.

DE

DE HIMERA.

Spectatum innumeri accurrunt decus oris Himeræ,
  Seu sacra templa petit, seu redit illa domum:
Hæc ouat, & curru fertur laudata superbo,
  Nec me nec magnos æstimat asse deos;
Hei mihi, me perdit populi concursus, Himera
  Viue domi; & tu gens siste proterua pedem.

AD GALATEVM FLORI-MONTIVM EPISCO-PVM.

Orandos hominum quis generi Deos,
  Fundendasq; neget numinibus preces?
  Ipsos uelle peti, me quoq; non latet,
  Votis supplicibus Deos:
Verum magna deum numina qui putant
  Flecti muneribus, non bene sentiunt;
  Ingens non superos hostia fœnerat,
  Grandis uictima non litat:
Bellum Dardanidis cum Danais erat;
  Horum grata magis uisa Deis sacra,
  Quàm Troum, paribus cum neq; sumptibus
  Tam solennia nec forent:
Contra Cecropidas bella gerentibus
  Spartanis, tulerunt Cecropidis opem

Dij nunquam, struerent magnificentius
Aras hi licet & tholos:
Tostæ nidor ouis si petat æthera
Sublatus Zephyris, non ego nos uelim
Adduci tenebris cuncta tegentibus,
Hoc uesci ætherium Iouem:
Ah non credibile est o Galatee, non
Par uero, superos non opis indigos
Nostræ unquam, misera cæde bidentium
Aut pompæ ordinibus capi;
Ingens stultitia est nostra, Deum optimum
Non reri potius respicere ad bonæ
Mentis templa hominum quam sacra mystica,
Nostra & munera inania.
Donis forte datis si putet à Ioue
Exorasse patris funera filius,
Spes uanas alit, & ridet ineptias
Et donaria Iupiter:
Iustus iusta petat; iustitiæ pater
Nunquam supplicibus iusta negat Deus,
Quin & sponte sua largus opum, atq; opis,
Humanum genus adiuuat.
Qui cum uoce manus tollit ad æthera
Paruo thure dato, & pectore candido;
Huius uota Deos ilicet & pias
Exaudisse preces reor:
Aequi mentem animi Iupiter auream,
Non aurata boum cornua respicit;

Clementem melior causa Iouem mouet,
Non sacri labor & decus.

IN LAVDEM HIPPOLYTI SALVIANI.

Vt sua Neptunus celebrari armenta, suasq;
Lætus opes, & se sensit ab Hippolyto:
Nereides dixit turpes è littore Phocas
Pellite, & hæc magno dicta referte uiro:
Quod mea regna colat deserta Cærula Terra,
Me pecori Hippolytum præposuisse meo.

AD FELICEM VRSINAM.

Quod forma, quod sis opibus, quod sanguine felix;
Iure datum Felix hoc tibi nomen habes:
Iure etiam ante alios uir felicissimus ille est;
Cui fas Felici coniuge posse frui.

DE HIMERA.

Siue sedet, siue incedit, seu fatur Himera,
Quicquid agit, ueneres secum habet, & Charites:
Sed cum dat tremulos lætanti pectore risus;
Ridet & alma Charis, ridet & alma uenus.

IN SACERDOTEM male olentem.

D æmonas infestos multorum e pectore pellis
Per fora, per superum Maßipe templa Deum:
E xpellis (fateor) uerborum ut rere tuorum
Non ui, uerum animæ putris odore tuæ.

IN LAVDEM IOANNIS BAPT. SALVIATI.

C orporis egregij formam, uultusq; nitentis,
Vt uidere decus, Dijq, Deæq; tuum:
E xarsere omnes; calet hic, illa æstuat, adsunt
Blanditiæ, dantur munera, feruet Amor:
F elix Iane, potes tua si bona noscere; magnum est
Ius tibi, te poscunt Numina, Terra colit.

ALIVD.

A tticus ille puer dulcis fuit ore uenusto,
Cuius in os liquidum mel uaga fudit apis:
I ane puer puero longe tu dulcior illo es;
Sedula ab ore tuo mel sibi sumit apis.

ALIVD.

V t uidit te Iane Venus, mirata leporem,
Et magnum in roseo quod nitet ore decus:

Quis puer hic, inquit, nostrum qui præstat Adonin?
Absit Adonis, ades tu mihi, Adonis eris.

ALIVD.

Ardebat te Iane Venus: sed amore Lupillæ
Audijt ut captum te Dea, tristis ait:
Tu uictrix, tuus est Ianus, tibi cedo Lupilla,
Romulea præstant semper in Vrbe lupæ.

IN DROMPNVM SARMATAM AD ALEX. MANZOLVM.

Ad Tyberim Drompnus diris Aquilonibus actus
Nuper ab usq; iugis uenit hyperboreis:
Diuertit'q; domos, quibus ipse ego uersor, easdem,
Atria quæq; colo principis, ille colit:
Idcirco ne crede meum Manzole sodalem;
Hoc a me, hoc absit triste sodalitium.

ALIVD.

Tempore quo Drompnus stratis se tollit ab udis,
Quoq; antri reserat limina opaca sui:
Non sic mane Cyclops uoluens de fornice saxum
Horrenti pauidum territat ore pecus:

Nec sic lernæos longe lateq; Colonos
  Tetra uenenatis faucibus Hydra necat:
Nec sic confundunt pontum immanissima Cete,
  Inficit ut terras barbarus & maria.

ALIVD.

Vidisti quo uentre tumet? quo pectore Drompnus?
  Mente animoq; magis barbarus ille tumet:
Illius in lata sedet alta superbia fronte,
  Illius in patula nare Megæra sedet.

ALIVD.

Drompnus adest latamq; trahit crassissimus aluum,
  Pinguiaq; exportat pectora desidia:
Turpiter abraso pendent palearia mento,
  Exundantq; nates clunibus immodicis:
Quàm uasta se mole mouet, quo machina nutu,
  Dij barathrum et pestem hãc perdite, et ingluuiẽ.

ALIVD.

Quid memorẽ Drompni cœnas, quid prandia dicam,
  Quid referam lances, quid numerem calices?
Vt semel accubuit mensis, hic solis ab ortu
  Helno, ad occasum perstat, & ad tenebras:
Ad cœnas iterum accitus, quam desinat esse,
  Aut potare, prius lucifer exoritur.

ALIVD.

Non offas tantum eructat, sed gutture uasto
  Mista epulis Drompnus turbida uina uomit:

Hinc rursus uorat, et bibit, et uomit, et cacat, et iam
Ad medios stertit perditus usq; dies:
Omniáq; immundus deturpat & inquinat, ipsas
Vt patrio Harpyias cogat abire solo.

ALIVD.

Putri pastus equo secum affert Sarmata Drompnus
Terrorem, horribilis pectore, fronte ferox:
Illum ego cum uideo, uideor uidisse Chimæram,
Aut qui tartareas excubat ante fores.

ALIVD.

Se se pascit equo, generi nec parcit equino
Sarmata, quo rabidam pellat ab ore famem:
Illius miseros auidis sub dentibus Agnos;
Turgida qui fatuo pectora pascit equo.

ALIVD.

Non aliud quã immunda palus, quã gurgitis aluens,
Drompne tua est aluus, uenter & iste tuus.
Sic tua nant haasti mugiles per uiscera, in alueo
Sic agitant fluctus feruida uina tuo.

AD MARTIAM.

Martia uere nouo formosior, arua colorant
Cum uiolæ, & blandis lilia mista rosis:

Posse frui da uere tuo: laus nulla ligustris,
Cum cecidere suis lapsa cacuminibus.

AD IVLIVM POGGIVM DE HIMERA.

Pulchrior non est facies in vrbe,
Quam meæ Poggi facies puellæ;
Nec magis fama celebri moratur
Altera Romæ.
Hanc petunt omnes iuuenes, senesq;,
Sanguine illustres, opibusq; clari,
Me tamen spretis generosa uirgo
Omnibus ardet.
Vtq; amor possit penitus latere,
Quem tegi totum uolumus per æuum,
Dicta non nobis numerisq; nostris
Nomine uero est:
Qui sapit gaudet tacitis labellis;
Aucupes uocem reprimunt silentes,
Ne fugam molles capiant columbæ
Vocibus altis.

AD IOANNEM HONORIVM.

Naupliadæ inuentum est Palamedis littera, uerum
Naupliadæ usa est ut noua forma tuæ:
Arte fuisse rudem se fassus, cedimus, inquit:
Sola litura mea est, littera Iane tua est.

IN ANTAEAM MERETRICEM.

Antæam scortum illepidum futuebat Alous,
Intonat aula, silent qui prope limen erant:
Auditur fatuum cunni poppysma profundi,
Auditur strepitus podicis horrisonus:
Mirantur, ridentq; simul latrantia monstri
Inguina, & e crassa fulmina missa nate:
Antæo, tunc unus ait, si hæc arma fuissent,
Amphitrioniades procubuisset humi.

ALIVD.

Pulchrior ante alias mammosa Antæa uideris
Per fora, per campos, per sacra templa deum:
Ante aliás discincta domi sed turpior una es,
Omnibus es longe turpior in thalamo:
Fascia nulla potest putres constringere mammas,
Os sentina tuum est, uulua, cloaca, tua est.

PVERI NOTHI Loquuntur.

Quas unquam tibi magne pater persoluere grates
Possumus, & meritis præmia digna tuis?
Dij referant, nobis referendi nulla potestas,
Vsq; adeo facti est gratia magna tui:
Plus tibi quàm nostris debere parentibus ipsis,
Maioremq; tuam pene fatemur opem;

In tenues genitor nos luminis edidit oras;
Tu das Aetherio lumine posse frui.

EPIT. MALI POETAE.

In Barathro Balatro est: balatronis more canebat
Carmina: iure Lycon in barathro, Balatro est.

IN PYRRHAM MERETRICEM.

Quid struis o demens? quo nam te proripis? angit
Me dolor, excruciant me tua facta Mycon:
Pyrrham ardes pellax sceleratam Pyrrha parentē
Secum habet, aurigas pascit, & aedificat.

DE MORTE POMPEII PEREGRINI ET LVCIAE EIVS CONIVGIS.

Coniuge cum cara Pompeius fugerat vrbem,
Ducebat'q; suis ocia laetus agris:
Sacrilegi irrumpunt aditus, ambos'q; trucidant,
Dum somnos placido carpit uter'q; toro:
Dij superi, quae tuta bonis domus, acribus vrbes
Si curis, ferro praedia nos perimunt?

IN FONTEM IVLII. III. PONT. MAX.

Garrula quæ manat gelidis è montibus unda
 Quæq; fluit blando per caua saxa sono:
Ad se se niueas inuitat pura columbas,
 Cygne tuos cantus & Philomela tuos:
Formosæ Charites, dulces'q; accedite Nymphæ,
 Ad sua nos virgo conuocat antra soror.

DE QVATVOR EPISCOPIS HISPANIS VNA NAVI AD PATRIAM REDEVNTIBVS.

Sacris plena viris pontum ratis una secabat,
 Et placidum uentis lenibus æquor erat:
Hanc septem Nomadum ualidæ inuasere Carinæ,
 Pugnam ineunt, Martis prælia dura gerunt:
Sed non una foret cum par tot nauibus, & iam
 Scanderet obsessam barbara turba trabem:
Tempestas oritur, flant uenti, lintea uentis
 Dant nostri & celeri littora puppe tenent:
Quotq; ratem Nomades ui conscendere, per undas
 Arreptos secum traxit adunca ratis:
Quam præstat uixisse pium: gens impia uictrix,
 Extemplo diuum numine uicta fuit.

EPIT. PERINI CITHAREDI.

Et cithara & cantu, & mentis candore Perinus
 Clarior ante alios, occidit ante diem.

DE AMORE AD SEBASTIANVM GANDVLPHVM.

Corporis atq; animi ui multa excellere, pulchrum est,
Laus ingens ualida sceptra tenere manu:
Expugnare Vrbes, populis dare iura subactis,
Fronde caput uiridi cingere, magnus honos:
Verum homini nil dulce magis, nec gloria maior,
Quam Gandulphe pari posse in amore mori.

AD LIVIAM COLVMNAM

Spina pedem Veneri pupugit; tibi Liuia dextram,
Effusus'q; cruor tinxit uter'q; solum:
Ex alba rubram ille rosam; tuus iste Columna
Purpurea è niueis lilia tacta facit:
Iure igitur tam tu Veneri me iudice praestas,
Quam praestant pulchris lilia pulchra rosis.

ALIVD.

Spina tuam fuso uiolarat sanguine dextram
Liuia: Cum matrem te ratus inquit Amor:
Quae cunctorum agitas spinosis pectora curis,
Laesit spina pedes & tibi iure manus.

DE GALEATIO ROSCIO Interamnate.

Praeponit Venetam Romanis arcibus Vrbem
Roscius, & venetos me quoq; adire monet:

Illam Ranutus nostrum uenerabile numen,
Et venus & Charites, Pierides'q, colunt:
Heu quid agam? fas ire iubet; sed dulcis Himera
Non sinit, & retinet me male cautus Amor.

AD MARCELLVM PALONIVM.

Et rubet & salit, & generosum et lene Paloni est,
Quod mihi das hornum uere tepente merum:
Non igitur porri est, sed mater Aricia Bacchi,
Atq; adeo mater maxima lætitiæ est.

DE IOANNE VEGA.

Clarus erat tantum regnis in pace regendis
Ingens Hesperij gloria Vega soli:
Verum ubi bella feri dux Martis fortia gessit,
Aeternum & nomen clarius acer habet:
Et merito: nanq; ille toga qui præstat & armis;
(Quod rarum) fama sydera iure ferit.

EPIT. DVORVM FRATRVM.

FRATRES hoc tumulo duo teguntur,
Alter dum studet alterum leuare
Quo correptus erat furente morbo,
Ambo ægri triduo occidere; uterq;
Dolens alterius suum'q; lethum.

DE MARTIO MARTIRIANO.

Martius est Phœbi, non duri Martis alumnus,
  Mars tamen est, poscunt cum fera bella manus.

DE HIMERA.

Sole comas ut sæpe solet siccabat Himera;
  Sol fulgore comæ tactus, & oris; ait:
Conde comas, auerte oculos pulcherrima Himera;
  Spicula sunt oculi, retia torta, comæ.

AD BER. MAFFEVM CAR.

Ad tua duxisti me prædia, uidimus omnem
  Tecum agrum ad gelidi Tyburis usq; lacus:
Ille habet innumeros uiridanti uertice colles,
  Et totidem herboso mollia prata solo:
Sunt rigui fontes, uilla, insuperabile castrum est,
  Perpetuo tellus florida uere nitet:
Sint Maffee licet tua rura ingentia, non te
  Villa capit, nec te maxima Roma capit.

AD IOANNEM BERNARDINVM SANSEVERINVM.

Tu cui pampineus tota cum gente Vesæuus
  Paruit, & regni non nisi nomen habes:

Tolle animos, tibi rursus ouans parebit, & ignes
Aduentu rutilos tollet ad astra tuo:
Te colimus, te Dij seruent, quascunq; sequaris
Diuisi partes Orbis & arma Ducum:
Hic meus in te amor, exuperat quoscunq; timores,
Nec metuam pro te dux generose mori:
Cæsar magne, mihi parce obsecro: non modo amore
Ille meo, uerum dignus amore tuo est.

DE HIMERA.

Mane erat, & mecum qua se ducebat Himera,
Nondum flos hortis editus ullus erat:
Cum tremulos alacri risus dedit ore puella,
Ad risum erexit Caltha Thymus'q; caput;
Narcissi risere, simul risere Hiacynthi;
Ridentes'q; comas explicuere rosæ:
Solo igitur si prata facit florentia risu,
Oscula cui dederit, Dijs facit illa parem.

DE VILLA PHILIPPI AR-CHINTI IN AGRO TYBVRTINO.

Martia de gelidis huc manat fontibus unda,
Hic humus assiduo florida uere nitet:
Fas Genio dare thura; loco uos thessala Tempe,
Vos nemora Hesperidum cedite, numen habet.

AD IOANNEM BELLAVM CARDINALEM.

Dignus honore uir est quicunq; excellere in una
Laude potest; magni est nanq; laboris opus:
Tu uero egregius Bellaë in rebus agendis,
Palladis, & Phœbi, Pieridumq; comes:
Non modo mortales præclaris laudibus anteis,
Sed mihi par superis esse uidere Deis.

IN NAEVVM HIMERAE.

Non procul à mento facies pulcherrima Himeræ
Næuum habet, & pulchro næuus in ore decet:
Nec macula est, picea insignis nigredine næuus,
Sed lumen, tanquam sydus in arce Iouis:
Lucifer est igitur merito mihi næuus Himeræ,
Tuq; Aurora mihi, tu mihi Himera Dea es.

ALIVD.

Nescio quis de plebe hominum damnarat Himera
Quem pulchro næuum uidit in ore, tuum:
Irridens, salis esse nihil, nihil esse leporis
In facie næuo quæ caret, inquit Amor.

ALIVD.

Iste tuus quàm sit tibi næuus Himera decori,
Accipe: sponte sua næuus in ore tuo est:

Vt si

Vt similem uero naeuum ferat, omnis adurit
Igne sibi & ferro culta puella genas:
Cumq; labore graui curant decus addere formae;
Quae specie uera non nitet, arte nitet.

ALIVD.

Oscula libaram dominae; uerum ore relicto
Haerebam & naeuo basia pressa dabam:
In naeuo furtiuus Amor fruticante latebat;
Hinc merito torret me ferus haustus Amor.

ALIVD.

Quod uitio est alijs, tibi candida Himera decori,
In naeuo Charis est, & Venus alma tuo.

ALIVD.

Qui naeuum mendam esse tuo contendit in ore,
Fallitur, & naeui nescit Himera decus:
Ipse tuo, cum uult magnis dare uulnera diuis,
Quo latet e naeuo spicula torquet Amor.

ALIVD.

Obuius in terris cum se se ferret Himerae
Blandus Amor, matrem credidit esse suam:

Cum tamen e nævo quo matris forma carebat,
Non matrem, matri sed uidet esse parem:
O re meæ mœrens exclamat Himera parentis
Nescio quid facies hæc tua maius habet.

ALIVD.

Tarpeij sacra templa Iouis mea Himera petebat,
Illius e cœlo Cynthius ora uidet:
Incessum & formam miratus & ora puellæ,
Aestuat, atq; nouo carpitur igne deus:
Palladaq;, & Venerem et Iunonem conuenit, utq; his
Mortali ostendit quod decus ore nitet:
Cedite, ait, facie næuoq; insignis Himera
Cedite, tres superat pulchrior una deas.

AD BENEDICTVM AEGIVM ET PHILIPPVM GERIVM.

Aegi & Geri Commilitones strenui,
Nouem sororum alumni, alumni Apollinis,
Iam circo (ut ambo cernitis) me credidi,
Parma sinistræ subligata me dedi
In omnium ora; in media arena iam sumus,
Prodire nunc primum ausi in anceps prælium;
Hostes mihi non defuturos impios,
Non defuturos æmulos acres reor:
Vos qui theatro adestis, & cum cæteris

Spectantibus sedetis; in sententia
Ferenda opem ferte, & fauete, & plaudite.

AD SFORTIAM SFORTIAM.

Vt te equitum Cæsar merito dedit esse magistrum
Sfortia, lætanti pectore Phœbus ait:
Palladis armisonæ, & duri Mauortis alumnus
Sfortia, laus ingens huius & huius erit.

AD SOMNVM.

Somne ueni, quate roranti mea tempora ramo,
Et mea blande tua lumina conde manu:
Me ferus urit Amor, me perfidus ille quietem
Spinoso prohibet carpere posse toro:
Sæpius ad dulcis confugi munera Bacchi,
Non tamen est Bacchi munere uictus Amor:
Tu cui Dij parent omnes, infunde soporem,
Fac latus obsessum deserat acer Amor.

DE MORTE HORATII FARNESII.

Fulmine Farnesium Vulcanus Martis alumnum
Strauerat, & dignum laude putabat opus:
Cui Mauors, quid ais diuum ignauissime? ictus
Quid misisse neci fulmine Farnesium?

O huius armato te non impune tulisses;
Eminus arma uiris tendere, inertis opus.

ALIVD.

Morte tua exultant Farnesi nominis hostes,
Terror enim cunctis maximus unus eras:
Quiq; odia immerito grauia exercere solebant;
Nunc te summa super sydera laude ferunt:
Liuor abest ubi terror abit mortalibus ægris;
Post suprema datur funera, uerus honos.

ALIVD.

Occubuit dignis horrendus Horatius armis;
Belli fulmen erat, fulmine raptus obit.

EPIT. LAVINIAE VALLIAE.

Te patriæ ualles & septem Vallia montes
Flevere, & laty Dijq; Deæq; soli:
Quod rarum, quæ fœmineæ laus maxima sorti est;
In te iuncta fuit forma Pudicitiæ.

AD ANDREAM ARDVINVM.

Cum nil tibi sit arduum, nec arduis
In rebus Arduine te trepidum geras;

Tutare rem non arduam rogo meam;
Atrox Charybdis, atra Scylla, quae meas
Oues, opesq; deuorant, securibus
Et Arduine fascibus cedent tuis.

AD RANVTVM FARNESIVM CARD.

Sex procul a' patria lustris Ranute peractis
Absumus, & tota est nostra sepulta domus:
Ante alios gelida consumpti morte parentes;
Et soror & fratres occubuere duo:
Solus ego inuisam uitam moror, & mea fata
Conqueror, ante meos non potuisse mori:
Quid mihi cũ patria posthac? mea patria Roma est,
Et pater & patrium tu mihi numen eris.

EPIT. IO. PAVLI OGGINI.

Formosus plenusq; salis, plenusq; leporum,
Vix lustrum uixit Paulus, & occubuit:
Ossa pater dum condit humo, solatia dixit
Et mea quàm subito gaudia terra tegis.

IN LENAM Ad Iulium Cananum.

Mens bona nuper erat nostrae Canáne puellae,
Atq; omni uacuum crimine pectus erat:

Hanc adit & stultam uocat, ignauamq́, rudemq́;,
Congerat ut q; aurum perfida Lena monet.
Corrupitq́; animum castæ male suada puellæ,
In me (pro facinus) lena Leæna fuit.

DE MEDIOCRITATE AD TRYPHONEM BENCIVM.

QVI magna nolit dona Fortunæ Trypho
Mortalium nemo est, sed illa non sine
Metu perenni & maximo sunt omnibus,
Nec ulla sedes dignitatis celsior,
Periculorum casibus magnis caret;
Vsq; adeo ut alta, quæ uidemus omnia,
Non firma sint nec tuta per Terræ plagas,
Felicitatis culmen ubi quis attigit,
Aut tempore aut inuidia is euersus ruit.
Mediocritas ubiq; tutior manet,
Nanq; in boni confinio sita & mali,
Omni optima est in re; suprema nec eadem
In parte uersatur animæ, nec infima:
Quod forte si quis decidat quo stat gradu,
Quia casus eius esse magnus non potest,
Fert calamitatem (ceu decet) facillime;
Ruina nam fit magna magnæ machinæ,
Ad alta liuor more raptatur suo,
Quosq; extulit Fortuna, rursus deijcit.

AD HIERONYMAM COLVMNAM DE INTERITV ILLIVS CATELLAE.

Quid gemis extinctam generosa Columna catellam?
Desine; damna tibi non dabit ulla canis:
Quid tibi cum canibus? sat dira & dura fuere
Fata tibi; rabidi sat nocuere canes:
Sume animum: te certa manet venus aurea posthac,
Damnosæ postquam procubuere canes.

AD FELICEM CORAMBONVM, DE HIMERA.

Infelix ego sum, merito tu nomine Felix;
Nam tua flamma redit, & meus ignis abit.

IN OBITVM ALEX. VITELLII.

Cur gereret sine fronde comas, lacrimasq; Tifernus
Funderet, ingenti uoce rogatus ait:
Consilio fortis, clarusq; Vitellius ausis,
Quiq; erat inuicti gloria Martis, obit.

AD FRANC. LOTTINVM.

Quo Lottine modo longum deponere Amorem
Eualeam, quæris sedulus; expediam:

Nequitiæ & leuitatis opus plenumq; timoris
 Est Amor; illecebras tempsimus, ardor abit.

DE LIBERALITATE
IACOBI PONSETI
EPISCOPI.

Largus opum Ponsetus erat, cumq; omnibus ultro
 Donasset dignis omnia laude uiris:
Nescio quid restabat adhuc, quo pauper alebat
 Seq; suamq; domum parcius, idq; dedit:
Et reliquum hoc dixit tibi do Nicolaë, quid horres?
 Vita mihi breuis est, longa futura tua est.

AD IO. THOMAM DARDANVM.

Dardane deposui morbum, gratare sodali,
 Et meus in uentos ille recessit Amor:
Aspicies æstu curarum & mole solutum;
 Iam me somnus amat, iam mihi parta quies:
Qui miserum (pro Dij) noctesq; diesq; premebat,
 Non erat acer Amor Dardane, pestis erat.

AD SEIPSVM.

Iam niuei Franchine tenent tua tempora cani,
 Te tamen haud cessas tradere nequitiæ:

Sat veneri Bacchoq; datum: nunc castra Minervæ
Nunc Phœbi fas est improbe castra sequi:
Omnia cum cano resecentur crimina crine,
Pectora sint pura candidiora nive.

DE EVPHEMIA IOZOLA NEAPOLITANA.

Dum movet insignis dulces Euphemia cantus,
Integrat & molli carmina culta sono:
Sistit equos Phœbus, medioq; è vertice olympi
Miratus liquidæ flumina vocis, ait:
Cedat olor, cedat Philomela, huic cedite Musæ,
Vincit aves, vincit docta puella Deas.

DE CVRTIO FRAGIPANE ET ANNIBALE CARO.

Curtius & Carus magnæ duo lumina Romæ,
Aeternum in me ius alter & alter habet:
Nanq; ego (ut illorum sileam præconia laudum)
Me quod ament, ambos lætus amo, & veneror.

IN FORTVNAM.

SCELESTA, *perfida, impudica, & impudens,*
Cui thura dant, quam nuncupant cuncti Deam;

Et si euolas, parumper alas comprime,
Dum te alloquor; uocem audies liberrimam.
Quem cernis; unum cernis è mortalibus
Tibi'q; tuis'q; semper inuisum rotis:
Mihi pares ad astra uectos conspicor
Tua opera & ope; me uero iniqua deprimis,
Vrges'q; adhuc; nec ex humo me tollere
Meum'q; ad auras posse tu sinis caput.
Cur haec agas, edas'q; cur tantum scelus,
Nescire temet arbitror, cum bellua
Et caeca sis, agas'q; cuncta perperam,
Idem'q; sis, quod sors, quod euentus, quod &
Casus, tibi'q; nulla sit uis, si bene
Sanis'q; cuncta mentibus perpendimus.
Scelesta, perfida, impudica, & impudens,
A me nec aras, nec preces, nec marmora
Speres tibi; tibi medium unguem porrigo,
In te tuum'q; despuo caluum caput.
Aeternitati quod uides ereximus
Templum hoc, pia'q; thura virtuti damus;
Qua duce (Dea est nam magna) ne flocci quidem
Tuos furores aestimamus, aut minas.
Te aduersa, & inuita, abnuente, & inuida,
Sunt mihi quibus natura detractis dolet,
Animi aestuantis sustuli curas graues,
Aequam mihi mentem apparaui iam satis.
Quod si ad mouendam contumax bilem mihi,
Alios ad astra me reiecto prouehes,

Illos statim, & te & facta ridebo tua;
Vt qui parentem perditorum, inertium
Natam, sororem mollium atq; coniugem,
De more semper te fuisse nouerim.
Non solia, non me sceptra, non me purpura,
Sed clara uirtus commouet mortalium;
Abi nefanda, & deuola quo nunc lubet,
Scelesta, perfida, impudica, & impudens.

FINIS.

ERRATA.

Pagina 19. locustrarum.	locustarum
Comungis.	Conugis.
27. cumero.	numero.
fornamq;.	formamq;
ncr.	nec.
30. Indigentem.	Indigetem.
31. omnuspotens.	omnipotens.
38. pupulus.	populus.
44. arae.	arte.
47. uerumq;.	utrunq;.
51. Postoresq;	Pastoresq;.
Naidas	Naiadas.
61 rutilun	rutilum.
69. nom.	non.
72. crinem	crimen.
73. ctit.	erit.
81. laborim.	laborum.
82. iuuenttus	iuuentus.
85. Sagunthi	Sagunti.
95. Mirmidonum.	Myrmidonum.
101. Praessae.	Pressae.
104. fitq;.	sitq;
107. furenta.	furente
115. aelebrum.	celebrem.
117. lynquitur.	linquitur.
119. Ne scit	Nec scit
121. Coustantumq;.	Constantumq;

123.mirto.	myrto.
125.Cæphali.	Cephali.

In Epigrammatum libris.

3. Conditus.	Conditus.
6. iuratum.	ruraram.
7. ſcripſit.	ſcripſit.
9. Ornatus	Ornatus
10. RIVALLIBVS.	RIVALIBVS.
11. hoſpitiom.	hoſpitium.
12. ſecaans.	ſecans.
22. Externa.	Heſterna.
25. ti.	te.
29. hæroibusq;.	heroibusq;.
32. formoſius.	formoſus.
39. Reddere.	Reddere.
41. færa.	fera.
49. pea.	pia.
50. quàmprinum.	quàmprimum.
59. attolens.	attollens.
penu.	pene.
65. DISTICON.	DISTICHON.
luribus.	luridus.
68. es.	&.
71. manente.	monente.
73. oculis.	oculus.
oculus.	oculis.

fuisses.	fuisset.
91. Ingemua.	Ingemua.
hebendis	habenas

versabitur pascens ocellos lubricos
lege sic. Pascens ocellos lubricos uersabitur,

93. AVSTTIA	AVSTRIA
95. horas	oras
98. perpetuò	perpetuo
110. generis	generi.
122. Pyrrham ardes	Pyrrham ardes?

ROMAE TYPIS IOANNIS HONO-
RII BIBLIOTHECAE
VATICANAE
Instauratoris,
ET HAEREDVM NATALIS
VENETI,
CAL. SEPT.
M. D. LIIII.